DE RACHITIDE, SIVE MORBO PUERILI,

qui vulgo

The **Rickets** dicitur,

Tractatus;

Opera primo ac potissimum

FRANCISCI GLISSONII
Doctoris, & publici Professoris Medicinæ
in Alma *Cantabrigia* Academia, & Socii
Collegii Medicorum *Londinensium*,
conscriptus:

Adscitis in operis societatem

GEORGIO BATE;
&
AHASUERO REGEMORTERO,
Medicinæ quoque Doctoribus, & pariter Sociis Collegii Medicorum Londinensium.

Editio secunda, priori adcuratior longe, & emendatior.

LONDINI,
Typis *Th. Roycroft*; Impensis *Laurentii Sadler*: apud quem veneunt, in vico vulgo vocato
Little Britain,
1660.

TRINITY COLLEGE
LIBRARY
CAMBRIDGE

PLacet nobis; ut Tractatus de *RACHITIDE*, sive Morbo Puerili, qui vulgo *The* Rickets dicitur, imprimatur.

Jo. Clerk, Præses.
Mauritius Williams, Eq. Aur. Censor.
Georgius Ent, Censor.
Joannes Micklethwait, Censor.
Ahasuerus Regemorter, Censor.

Ad Lectorem Præfatio.

ANte quinquennium, (Lector benevole) nonnulla, hunc affectum spectantia, in privatis conventibus (quos aliquot Medici, exercitationis in Artis operibus gratia, interdum habere solemus) mutuo invicem scriptis chartis communicavimus. Quum ea viam ad ulteriorem conditionis, tum curationis hujus morbi indaginem, quodammodo straviſſent; operæ-pretium poſtea viſum fuit chartas illas ad incudem denuo revocare, & (excerptis ex iis, quæ huic uſui eſſent accommodata) integrum de hoc affectu Tractatum concinnare. Cura iſta communi ſuffragio concredita fuit Dⁿⁱ *Gliſſonio*, Dⁿⁱ *Bate*, & Dⁿⁱ *Regemortero*;

tero; quibus primo placuit negotium hoc, ſecundum futuri Tractatûs partes, inter ſe dividere, ſingulisque proprium ſuum penſum aſſignare. Sed cum Dr *Gliſſonius* ſuam partem (quæ inveſtigationem Eſſentiæ hujus Morbi comprehendebat) accurate utriusque judicio contexuiſſet, atque in ea multa à communibus Medicorum placitis (licet forte minus à veritate) aliena in medium attuliſſet; mutavimus conſilium; primaque totius operis ſtamina ipſi ſoli pertexenda commiſimus, ne partes nimium heterogeneæ, ſibique difformes, tandem exſurgerent. Accepit conditionem, ea tamen lege, ut, dum in hac *Sparta* ornanda occupatus eſſet, cæteri duo ſæpius cum ipſo convenirent, & ſymbola ſua, ex propriis circa hunc affectum obſervationibus, in ſubtegmen conferrent, quæque illius ſtudio delineata & conſtructa proferrentur, horum examen, tum judicium, mox ut ſub manibus naſcebantur, ſubirent. Atque ita tandem hoc,

hoc, qualecunque, opus ad umbilicum perductum eſt; idque jam in publicum producimus, nequaquam impulſi ſcribendi prurigine: (quod *Epidemicum* hujus ævi eſt Cacoëthes) ſed eo tantum fine; ut, cum nobis ſolis nati non ſimus, hæc qualiacunque, quæ cum ad tenellæ ætatis (in qua magna ex parte præſens, totum vero futurum genus humanum concluſum eſt) ſalutem, tum Reipublicæ literariæ incrementum utcunque facere poſſent, communia redderemus; quo etiam aliorum doctiſſimorum ingenia ad ſimiles in Eſſentias morborum eorumque cauſſas inquiſitiones faciendas, & noſtras hasce Lucubrationes examinandas perfectioresque aliquando reddendas invitaremus. Cæterum obſcura hujus Affectûs eſſentia, & noſtrum in hoc novo ſtadio percurrendo auſum, veniam (vel tacentibus nobis) apud te poſtulant, & ut defectus, lapſus, erroresque horum conatuum mitiori perſtringantur

censura, jure meritoque efflagitant. Denique noli à nobis hic expectare pictum sermonem, & Rhetorum floſculis conſperſum;

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

Neq; etiam materiæ conditio patitur ejusmodi fucum: isto modo

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Vale, (Amice Lector) atq; eo animo hæc evolve, quo Tibi damus; hoc est, candido & benevolo.

F. G.
G. B.
A. R.

Nomina eorum Doctorum, qui scriptis chartis Observationes suas in prima nostra super hoc affectu Exercitatione contulerunt.

Dr. *F. Gliſſon*, Dr. *T. Sheaf*, Dr. *G. Bate*, Dr. *A. Regemortet*, Dr. *R. Wright*, defunctus, Dr. *N. Paget*, Dr. *J. Goddard*, Dr. *E. Trench:* Collegii Medicorum *Londinenſium* Socii.

Elen-

Elenchus Capitum, brevisque Synopsis Articulorum præcipuorum in singulis contentorum.

CAP. I.

Antiquitas & prima origo hujus morbi, nomen ejusdem, hujusque derivatio. Pag. 1
Morbum hunc esse novum. *ibid.*
Primus ejus locus natalis. 3
Nomen vulgare. *ibid.*
Nomen huic morbo apposite quadrans. 4

CAP. II.

Anatomicæ Observationes, collectæ ex inspectione & dissectione corporum hoc morbo extinctorum. 7
Observata, quæ citra dissectionem, denudato defuncto, exterius occurrunt. 9
Quæ aperto Abdomine. 11
Quæ aperto Thorace. 12
Quæ aperto Capite observantur. 13

CAP. III.

Ad faciliorem inventionem Essentiæ morbi, suppositæ quædam proponuntur. Primum, de Essentia sanitatis. Secundum, de Essentia morbi. Tertium, de triplici divisione sanitatis & morbi. Explicatio tertiæ divisionis, ususque ejusdem. Descriptio constitutionis naturalis, ejusdem exaltatio. Quartum suppositum de combinatione trium constitutionum in iisdem partibus. 15
Divisio constitutionis, in qua consistit Essentia sanitatis & morbi, in naturalem, vitalem, & animalem, hujusque divisionis explicatio. 17
Descriptio constitutionis naturalis. 21

CAP.

CAP. IV.

Essentiam hujus morbi non consistere in constitutione Animali, nec Vitali: sed Naturali; non qua Organica, sed qua Similari. 24
Limitationes tres proponuntur. 32
Primam, ac radicalem hujus morbi essentiam, consistere in frigida ac humida intemperie, cum defectu ac torpore spirituum insitorum concurrentibus, in constitutione insita partium primo affectarum. 31

CAP. V.

Examinatio sententiæ propositæ per partes. 1, *Morbum esse intemperiem frigidam.* Object. & Resp. 2, *Esse humidam.* 3, *Consistere in spirituum inopia.* Object. & Resp. 4, *In spirituum torpore.* 33
Plura concurrere ad temperamentum calidum insitum constituendum, quam solum spiritum insitum. 39

CAP. VI.

Pars primo in hoc morbo affecta. 42
Non Cor, aut Cerebrum. 43
An Hepar sit subjectum primæ Essentiæ hujus morbi? *ibid.*
Argumentorum, quæ Affirmativam suadeant, solutio. 44
Negativa asseritur. 47
An Pulmones sint subjectum primæ Essentiæ hujus morbi? 50
Negativa asseritur. *ibid.*
Partes primo affectas esse spinalem medullam, calvariam egressam; Nervos omnes ab eadem productos; denique omnes partes membranosas, ac fibrosas, ad quas nervi isti deferuntur. 51
An ossa inter eas accensenda? 52
Negatur. *ibid.*

CAP.

CAP. VII.

Secundaria hujus morbi Essentia. 55
Tonus Partium in quo consistat. 56
Tonum Partium in hoc affectu esse vitiatum: & esse quidem
1. Nimis laxum. 57
2. Nimis flaccidum. *ibid.*
3. Nimis mollem. 58
4. Nimis lubricum interne. *ibid.*
Dari internam, & similarem quandam in corporibus naturalibus lubricitatem, etsi ea à Philosophis prætermissa sit. 59
Eam lubricitatem esse vel *Oleosam*, seu *pinguem*, *Aquosam*, *Spirituosam*, *Salinam*, & forte *Terrestrem*. 60
Partes primo affectas interna lubricitate aquosa, præter naturam, esse affectas. 61
Tonum partium, in hoc affectu vitiatum, non esse caussam morbificam: 63
Neque esse merum symptoma; *ibid.*
Sed morbum esse; 64
Et quidem partem totius affectûs, 66
Quæ à primaria affectûs Essentia dependet, adeoque esse partem Essentiæ secundariæ. *ibid.*
Magnam esse dependentiam toni vitiati à prima hujus morbi Essentia. 68

CAP. VIII.

Essentia secundaria hujus morbi in constitutione vitali. 71
Divisio Constitutionis vitalis, in Originalem, & Participatam. *ibid.*
Subjectum Constitutionis vitalis originalis non Cor esse; *ibid.*
Sed spiritum vitalem. 72

CAP. IX.

Vitiata generatio spirituum vitalium in hoc morbo? &, *An id vitium sit pars ejus Essentiæ secundariæ?* 75

CAP.

An, & quatenus, morbus hic dici possit hæreditarius ? 158
Morbum hæreditarium esse proprie, vel improprie, sic dictum. ibid.
Utrumque rursum duplicem esse. ib d.
Cur Infantes rarissime hunc affectum ante partum incurrant. 161
Cur ii, qui ante partum hoc morbo correpti fuerunt, gravius, ac periculosius laborent. 162
Enumeratio causarum, quę, ex parte Parentum, hunc morbum produeunt. 163
I. Quæ, ante conceptionem, à vitio totius corporis Parentũ, procedunt, ad 4 Classes reductę : ib.
1. Ad intemperiem frigidam & humidam materiæ, ex qua semen generatur, ejusque causæ. ibid.
2. Ad inopiam spirituum insitorum in ista materia, ejusque causæ. 164
3. Ad Torporem materiæ istius. 165
Hujus Causæ. 166
4. Ad vitiosas dispositiones Parentũ, qui ipsi forte in sua pueritia hoc morbo laboraverint. 167
II. Vitia, in ipsis partibus genitalibus Parentum residentia, quatenus possint esse causæ, ante conceptionem. ibid.
Causæ, ex parte Matris, hunc morbum, post conceptionem, producentes. 168

CAP. XVI.

Causæ hujus morbi Pueris post partum incidentes. 171
An morbus hic sit contagiosus ? ibid.
Negativa asseritur. 172
Quid potissimum requiratur ad morbum proprie contagiosum constituendum. ibid.
Causæ, post Partum hunc morbum invehentes, ad duas Classes reductę. 173
De Aere, & extrinsecus occurrentibus, quatenus possint esse causæ hujus morbi. 174
De Cibo, & Potu, intusque assumptis, 177

De

De Motu, Quiete, Actionibus, & Exercitiis. 179
De Somno, & Vigiliis. 180
De Excretis, & retentis, præter naturam. *ibid.*
Plures dari ſpecies Excretorum, quam vulgo ſtatui ſolet. 182
Singulas tamen Excretorum ſpecies nondum nobis eſſe ſatis notas. *ibid.*
Cauſſæ internæ hujus morbi. 183
Quomodo Bilis poſſit eſſe hujus morbi cauſſa. 185
Quomodo Melancholia hujus morbi cauſſa eſſe poſſit. 186
Quomodo Pituita hujus morbi cauſſa eſſe poſſit. 187
Quomodo Sudor excedens, vel deficiens, ut & indebita tranſpiratio, hujus morbi cauſſa eſſe poſſit. *ibid.*

CAP. XVII.

Morbi antecedanei, qui hujus morbi cauſſæ eſſe poſſunt. 188
Tria horum morborum genera. 189
Qui morbi huic ſint affines, & congeneres. *ibid.*
Quomodo morbi emaciantes, corpusque quovis modo extenuantes, poſſint eſſe hujus morbi cauſſa. 191
Tria genera morborum corpus extenuantium. 192
Pueros rariſſime à ſoporoſis affectibus in hunc morbum incidere: & cur? 194
Qui morbi ſint, qui frequentius ſolent torporem huic morbo proprium invehere. 195

CAP. XVIII.

Cur ætate grandiores, non æquè ac pueri, huic morbo ſint obnoxii? 196
Juniores pueros frigidiori temperamento eſſe præditos, quam ſeniores: & cur? 197
Plura requiri ad conſtitutionem temperamenti calidi, quam ſpiritum inſitum, & calorem inſitum. *ibid.*

Differre

Differre revera intemperiem humidam, quæ pueris, ab illa, quæ ſenibus contingit; & quomodo. 198

Quæ ætas juniorum rarius, quæ frequentius huic affectui ſit obnoxia. 202

Cur Infantes recens nati rariſſime afficiantur. *ibid.*

Lac muliebre ſaluberrimum Infantibus alimentum. 203

Exceptis certis caſibus. *ibid.*

Cur Infantes à nono menſe ad ſeſquiannum ætatis indies hoc morbo frequentius infeſtentur. 204

Error Nutricum, quæ debiliores Infantes præmature veſtibus induunt, notatur. Et, quando Faſciæ Infantibus ſint exuendæ, oſtenditur. 205

Cur morbus hic frequentiſſime pueros poſt ſeſquiannum ætatis uſque ad ſecundum cum dimidio affligat. *ibid.*

An ætate grandiores unquam in hunc affectum incidant?

Affirmativa aſſeritur ſub certis limitationibus. 206

Hiſtoria morbi, adultis apud nos interdum contingentis, huic puerili morbo multum adſimilis. 209

Obſervatio Trigenarii morbo huic perquam ſimili laborantis. *ibid.*

CAP. XIX.

Cur in Anglia frequentius hic morbus occurrat, quam in aliis regionibus: &, An ſit Anglis vernaculus? 212

Quatuor conditiones, ut morbi dicantur proprie vernaculi. 213

Qui morbi improprie dicantur vernaculi. 214

Morbus proprie dictus vernaculus quotuplex. 216

Angliæ temperies frigida & humida. 218

Anglia

Anglia regio admodum prolifera. 220
Diuturna pax occasio est effœminationis corporum Incolarum. 222
Morbus hic longius latiusque extenditur, quam vulgo credi solet. 223
Mollior vitæ ratio tractu temporis familias enervare solet. 224
Morbus hic non proprie dici potest *Anglis* vernaculus. 225

CAP. XX.

Differentiæ morbi Rachitidis. 226
1. Differentię, ratione plurium, vel pauciorum partium essentię secundariæ hujus morbi. 227
Quę partes essentiæ secundariæ sint inseparabiles à priniaria essentia hujus morbi. 228
Quo ordine Organica vitia huic morbo superveniant. *ibid.*
2. Differentiæ à magnitudine. 230
3. Differentiæ à vehementia morbi. 231
4. Differentiæ à viribus ęgrotantis. *ibid.*
5. Differentiæ à Temporibus morbi. *ibid.*
Approbatio divisionis Temporum morbi secundum *Galenum*, & ejusdem defectus notatus. 232
Nova Augmenti divisio. 233
Duplex declinatio morbi. *ibid.*
Differentiæ hujus morbi secundum tempora proposita. 234
Differentiæ respectu causarum. 235
Differentię à morbis complicatis. 236
Qui morbi quandam dependentiam ab hoc morbo ejusve causis, habeant. *ibid.*
Morborum horum causę. 237, & 238

CAP. XXI.

Signa morbi Rachitidis: & 1, *Diagnostica.* 240
Signum Pathognomonicum latius extenditur, quam vulgo solet. *ibid.*
Ejus in hoc sensu definitio. 241

Quin-

Quinque Fontes ſignorum Diagnoſticorum hujus Morbi. 243
Signa ad actiones Animales ſpectantia. 244
Signa, quæ ſpectant ad irregularem partium nutritionem. 246
Signa, quæ reſpiciunt Reſpirationem. 250
Signa, quæ ſpectant ad vitalem influxum. 251
Signa quædam vaga. 252

CAP. XXII.

Signa differentiarum Rachitidis, ſive Diacritica. 253
Signa præſentis Rachitidis in principio adhuc exiſtentis. 254
Signa reliquorum Temporum hujus morbi 255, & 256
Signa morbi nativi improprie ſic dicti. 257
Signa hujus morbi ex integro poſt partum contracti. 258
Signa morborum, qui cum hoc affectu complicari ſolent, & quandam dependentiam ab eo, ejusve cauſſis, habent. 258, & 259
Aliorum morborum complicatorum ſigna. 259, 260, 261, 262

CAP. XXIII.

Signa Prognoſtica in morbo Rachitide. 263

CAP. XXIV.

Methodus ad Praxin; tum Indicationes in genere. 269
Quid Experientia, quid Ratio? *ibid.*
Quid Indicatio? 270
Quid Indicans? 271
Quid Indicatum? 272
Cognatio officii medici cum actione Indicata. 274
Collatio utriusque cum Scopis medicis. 275
Ad quam intellectûs operationem Indicatio pertineat. 282
Differentiæ Indicationum. 286

Duo

Duo Indicata abſtracta generaliſſima: *viz.* Conſervatio, & Correctio. 287
Tria generalia Indicantia. 291

CAP. XXV.

Curativæ Indicationes. 292

CAP. XXVI.

Indicationes Præſervativæ. 295

CAP. XXVII.

Indicatio Conſervativa, ſeu Vitalis. 299
Indicationem Vitalem eſſe in plures ſpecies diviſibilem: 300
Eſſe quoque diviſibilem in partes. 302

CAP. XXVIII.

uſus, rectáq; adminiſtratio Indicationum prædictarũ. 305
Quæ comprehendantur ſub uſu Indicationum. *ibid.*
De Conſenſu, & Diſſenſu, Indicationum. *ibid.*
Circumſtantiarum actionum Indicatarum inventio. 307
An morbus, vel ejus cauſſa, prius à Medico invadi debeat? 310, & 311

CAP. XXIX.

Materia Medica, propoſitis Indicationibus reſpondens. Et primo χειρουργική. 313
De Aurium ſcarificatione. 314
Conjectura noſtra, cur concha Auris, præ cæteris ejus partibus, in hoc affectu ſcarificetur. 315
Utilitas ſcarificationis Aurium in hoc affectu. 316
Fonticuli utilitas in hoc affectu. 317
Ad hoc remedium non adſcendendum, niſi neceſſitas urgeat. *ibid.*
Modus commodus Fonticulum ad nucham excitandi. 318
Hirudinum uſus plus nocere, quam prodeſſe videtur. 319
Cucurbitulæ cum ſcarificatione improbantur, ut noxiæ:

noxię : ſine ſcarificatione, ut inutiles. ibid.
Niſi alterutras efflagitet alius aliquis complicatus affectus. ibid.
Veſicatoria interdum utiliter hic adhibentur 32
Horum commoda in hoc caſu. ibid.
Et incommoda. 32
Locus commodiſſimus applicationis Veſicatorii in hoc affectu. 32
Ligaturarum uſus in hoc morbo curando. ibid.
Cautiones obſervandæ in harum uſu. ibid.
Ad quid eę conferant. ibid.
Faſciarum uſus, & modus eas coneinnandi. ibid.
Ocrearum fibulatarum cum Ferulis conſtructio 323,324,32

CAP. XXX.

Materia φαρμακευτικὴ. Et 1, *Eluentia primæ viæ.* 32
Remediorum Pharmaceuticorum diviſio. ibid.
Enematum uſus, eorumque Formulæ quædam 32
Cautio in eorum præſcriptione obſervanda. ibid.
Emeticorum utilitas. 32
Cautiones circa horum uſum obſervandæ. 33
Qualia Vomitoria illic conveniant. 33
Formulæ quædam Emeticorum. *ibid.* & 33
Catharctica Lenitiva, & cautiones circa eorum uſum. 33
Eorum diviſio. ibid.

CAP. XXXI.

Præparantia, eorumque uſus. 33
Horum genera. ibid.
Quę evacuatio magis, quę minus præparationes exigat. ibid.
Quæ pręparatio quibus humoribus debeatur. ibid.
Viarum præparatio. ibid.

Præparatio respectu Partium. 336
Conditiones Præparantium in hoc affectu. *ibid.*
Per Epicrasin humores esse in hoc affectu exigendos. *ibid.*
Simplicia Præparantia. 337, 338
Composita. 338

CAP. XXXII.

Evacuantia Elective. 340
Quæ sint rejicienda. *ibid.*
Rhabarbari in hoc affectu excellens utilitas. 341
Purgantia elective Simplicia. 342
Composita quędam. *ibid.*

CAP. XXXIII.

Alterantia Specifica. 344
Eorum Definitio, & Divisio. 345
Oppositio inter morborum & hæc Specifica. *ibid.*
Quæ ex Specificis sint nobiliora. 347
Apozemata Specifica, & Cerevisiæ Medicatæ. 348
Juscula & Panatellæ. 350
Pulveres & Electuaria. 351

CAP. XXXIV.

Corrigentia Symptomata. 353
Fluxûs Alvi curatio. 354
Sudor immodicus. 355
Cautio in ejus restrictione. 356
Sudoris immodici curatio. *ibid.*
Cautiones circa Chalybis usum in hoc affectu. 358
Dentitionis laboriosæ, & Dentium doloris, curatio. 360

CAP. XXXV.

Remedia externa. 362
Exercitii modi, seu genera. *ibid.*
Eorum divisio. 363
Varii Decubitûs mores, & in quibus casibus singuli noxii, vel utiles sint. *ibid.* & 364, &c.

Decu-

Decubitûs, præ cæteris exercitiis, in certis casibus prærogativa. *ibid.*
Cunarum agitationis usus. 365
Gestationis in ulnis, & similium, usus. 366
Lusuum sedentariorum usus. 367
Exercitia mascula. *ibid.*
Incessûs usus. *ibid.*
Artificialis corporis suspensionis usus. 368
Frictionis usus. 369
Contrectationis Abdominis usus. 371
Frequentis Adnascentiæ Hepatis in hoc affectu Causa. *ibid.*

CAP. XXXVI.

Extrinsecus applicanda. 372
Horum divisio, & variæ Formæ. *ibid.*
Liquores. *ibid.*
Olea. 373
Unguentorum in hoc affectu componendi ratio, & Formulæ. 374
Remedia externa Hypochondriis appropriata. 375
Remedia externa Pulmonibus dicata. 377
Spinæ remedia externa. 378

CAP.

Cap. I.

Antiquitas & prima origo hujus morbi, nomen ejusdem hujusque derivatio.

Novos nonnullos morbos veteribus plane ignotos, varios Europæ tractus paucis abhinc retro seculis invasisse certissimum est; (sive id vicissitudini rerum, sive peccatis hominum & corruptis moribus tribuamus) ut Luem Veneream, Corbutum, Plicam Polonicam & similes; quorum numero hunc ipsum, de quo scturi sumus, affectum accensere licet. Etenim si omnes Infantium & Puerorum morbos cum a Veteribus tum Neotericis in libris suis de infantium Morbis descriptos examinare libeat, nullum invenimus qui hujus idæam & conditionem satis exacte exprimat. Licet enim aliquid commercii & affinitatis habere videatur cum febre lenta, cum tabe, cum macie infantium, & hydrocephalo, revera tamen plane diversus specie est ab his affe-

Morbum hunc esse novum

ctus. Multos quippe reperias hoc morbo graviter afflictos absque febrili intemperie, aut ulla causa suspicionis ejusdem: similiter etsi tabes frequenter ante obitum huic morbo superveniat, rarissime tamen primam ejus invalionem comitatur. Quod ad maciem attinet, licet partes nonullæ in hoc affectu extenuatæ perpetuo observentur, non tamen id omnibus ex æquo, perinde, ut in vera macie accidit, sed partes circa caput & faciem floridæ, & bene pastæ ad extremum fere vitæ diem cernuntur. Denique hydrocephalus sæpe quidem cum hoc affectu complicatur; nonnullos tamen ab hoc morbo extinctos dissecuimus, quibus cerebrum satis firmum fuit, neque superfluo sero irriguum. Conjectarunt aliqui morbum hunc propaginem quandam esse seu fructum Luis Venereæ aut scorbuti à parentibus ad liberos propagatum. Non equidem negamus quin parentes Lue Venerea aut scorbuto laborantes, possint prolem non modo Lue Venerea aut scorbuto, sed & hoc etiam morbo simul affectam edere, atque hoc nonnunquam contigisse observatum est; ut plurimum tamen morbus hic nihil habet in propria sua essentia cognationis aut familiaritatis cum istis morbis, neque similem curationem postulat, strumosam quoque affectionem cum hac aliquoties complicatam observavimus: sed & hanc quoque ab illa & illam ab hac frequentius bene distinctam vidimus.

Sed quorsum huic inquisitioni diutius immoramur? cum qui velit attentius sig-

na

na hujus affectionis ſuo loco proponenda contemplari, facillime ſibi perſuadeat, morbum eſſe plane novum, neque unquam fuiſſe à veteribus aut neotericis in libris ſuis practicis de morbis Infantium hactenus divulgatis deſcriptum.

Antiquitas ejus, priuſque locus natalis.

Innotuit autem primum hic morbus (quantum quidem ex aliorum relatione, diligenti facto examine, colligere potuimus) in occidentalibus Angliæ tractibus, in Comitatu ſcil *Dorſet* & *Somerſet*, triginta circiter retro ab hinc annis. Ab eo tempore paulatim ejus notitia ad alia quoque loca derivata eſt, *Londinum* puta, *Cantabrigiam*, *Oxoniam* immo omnes pene Auſtrales & Occidentales Angliæ partes: In Septentrionalibus autem Comitatibus multo rarius hic morbus occurrit, & vixdum vulgo communiter innotuit.

Nomen Vulgare.

Cæterum nomen morbi vulgo receptum apud eos, quibus is familiaris eſt, the **Rickets**: Quis vero primus morbum hoc nomine donaverit valde eſt incertum, ut & qua occaſione id factum, caſuve an conſilio.

Utcunque nomen impoſitum ſit, apud omnes obtinuit, ut in tanta varietate locorum, nondum alio nomine appellatum fuiſſe, aut etiamnum appellari intellexerimus.

Admiratione autem dignum eſt, quod cum morbus recens ſit, & non ita pridem nomine donatus, neque in locis adeo diſſitis aut inacceſſis vigens, nemo hactenus inveniri potuerit, qui ſciret aut oſtenderet, vel primum nominis autorem, vel

ægrotum cui primum nomen morbi accommodatum fuit, vel locum peculiarem, ubi id factum, vel modum etiam quo inde in vulgus dispersum fuit. Populus nomen morbi nactus quasi re naviter gesta acquiescit, neque ulterius se solicitum vult de nominis autore aut re ipsa.

Quandoquidem autem Latinæ Græcæque Linguæ periti exspectant forte à nobis nomen, cujus aliqualis ratio reddi possit, varia nos huic morbo coaptavimus quę tamen singula recensere non erit forsan operæ-pretium; regulas tamen quas in nomine designando nobis ipsis proposuimus, commemorare non erit forte inutile. Prima ergo erat ut nomen morbi notabilem aliquam ejus conditionem comprehenderet. Secunda, ut id satis esset distinctum ab aliorum morborum & symptomatum nominibus. Tertia, ut esset satis familiare, pronunciatu facile, memorię quoque accommodatum, non nimis longum, neque operosius decompositum.

Regulæ observatæ in nova hujus morbi denominatione.

Dum hisce regulis satisfacere satagimus, aliquis nostrum casu quodam in nomen incidit quod sibi & cæteris quoque postmodum arrisit. Fuit autem νόσος ῥαχίτις, vel etiam ῥαχίτης (siquidem illa terminatio non plane abhorret à communi genere) morbus spinalis, item νόσος τῆς ῥάχεως, morbus spinæ dorsi. Est enim spina dorsi inter partes primo in hoc morbo affectas princeps. Deinde nullus alius morbus aut symptoma nomen hoc ei prę-ripuit; Præterea nomen hoc familiare est ac facile. Denique videmur hoc nomine Anglicum nomen tanto populi consensu receptum,

Nomen huic morbo apposite quadrans.

receptum, viz. **the Rickets**, à barbarie liberare. Absque enim torsione vocis nomen **Rickets** à voce ῥαχίτις vel ῥαχίτης deduci prompte potest, modo habeatur ratio mutationis quæ propter vulgarē pronunciationē accidere solet vocabulis quādo ab una ad aliam linguā transferuntur.

Dicas eos qui primo nomen Anglicum (**the Rickets**) inposuerunt fuisse forte plane rudes & Linguæ Græcæ imperitos, aut ne cogitasse quidem de Græca voce ῥαχίτης aut saltem non intellexisse spinam dorsi esse partem principem inter primo affectas in hoc morbo. Respondemus nostra nihil interesse sive rudes fuerint, sive de Græca voce non cogitarint, sive non intellexerint quæ sit pars princeps inter primo affectas aut secus: gratis tamen hæc asseruntur. Multos enim novimus tunc temporis, cum morbus hic primo affulsit nomenque accepit, doctos sane Græcæque Linguæ peritos in illis locis exstitisse quibus etiam non adeo difficile erat observare insignem spinæ in hoc affectu debilitatem, indeque nomen ei assignare, licet forte vulgus nomen id datum nonnihil errore pronunciationis, ut solet, perverteret, idque voce jam recepta, **the Rickets**, exprimeret. Verum hoc nos non solicitos habet, sive hoc ita sit, sive secus, perinde esto. Si ita se res habeat, nomen propositum omnino (ut patet) congruum erit, sin aliter fortasse non minus appositè quadrabit. Etenim finge te incidere in nomen quoddam, non tam consilio quam casu receptum, ita tamen aptum ut vix excogitari possit ipso consilio aliud nomen commodius, aut rationi magis consonum.

Objectio.

Responsio.

Quid

Quid ageres? vocem receptam extirpares, ut novam nihilo meliorem substitueres? Injurius certe fores erga morem loquendi; verba usu valent, neque temere sunt innovanda. quin potius nomen receptum confirma es, sed tanquam novum, & ab eo tempore à nova origine deducendum. Id enim foret saltem quasi surculus assititius novæ stirpi insertus, qui ob affinitatem cum radice haud difficulter coalesceret. Vel si hoc non placeat, suppone, si libet nos jam de novo fingere Anglicum hujus morbi nomen, idque deducere à voce Græca ῥαχίτης vel ῥαχίτις: Nomen sane Anglicum hinc resultans foret, **the Rachites** Quantillum jam interest inter hoc nomen & prius receptum, **the Rickets**? certe tantillum, ut vulgaris pronunciatio de tam exigua differentia non multum soleat esse solicita. Sed tædet diutius immorari in hisce trivialibus. Esto ergo Græcum morbi nomen νόσος ῥαχίτης vel ῥαχίτις (si modo vox hæc admittatur, esse communis generis) vel τῆς ῥάχεως; Latinum, Morbus Spinalis vel Spinæ Dorsi: item ficta voce Latina Substantiva ex Græca Adjectiva Rachitis —idis Anglicum usitatum, **the Rickets**, retineatur, vel ejus loco in curiosorum gratiam substituatur, si libet, **the Rachites**. Atque hæc de nomine.

CAP.

Cap. II.

Anatomicæ observationes collectæ ex inspectione & dissectione corporum hoc morbo extinctorum.

PRiusquam auspicamur indaginem de natura hujus morbi ejusque causis, visum est nonnulla certa & indubitata, utpote sensibus obvia, præmittere, quæ tum realem existentiam ipsius morbi demonstrent, tum fundamenti loco esse possint, cui sententia nostra & judicium nostrum de novo hoc morbo superstruatur. Neque enim quenquam existimare volumus, nos de morbo aliquo imaginario seu fictitio hic tractare, multo minus exspectare ut opinio nostra gratis & absque examine recipiatur. Quin potius id agimus ut materia discursus nostri sit, quantum quidem fieri potest, in ipso limine nota & comperta, ut illa quæ proposuerimus per hæc quæ sensui obvia sunt, prout occasio tulerit, confirmemus, lectorque his instructus fiat competens nostri ratiocinii arbiter, suumque de singulis judicium interponere valeat facilius. Testamur itaque plures nostrum variis corporum hoc morbo occumbentium dissectionibus interfuisse, eaque quæ longa experientia frequentique dissectio-

ne hactenus observavimus, quæ nempe propriis oculis vidimus, manibusque tractavimus summatim ac fideliter hoc capite narraturos.

2. *Præmonita.*

Interea tamen duo hic præmonenda sunt. Prius est, ut in memoria habeat lector, defunctos quos dissecuimus gravissime ante obitum hoc morbo afflictos fuisse, siquidem ipsi magnitudini morbi maxima ex parte succubuisse supponuntur: ne igitur exspectet in aliis corporibus adhuc vivis sive recens affectis, sive saltem ad ἀκμὴν nondum provectis, eam morbi magnitudinem aut symptomatum quæ hic depingitur. Morbus enim omnis ad statum usque intenditur & tum demum succumbente natura in deterius indies ruit. Posterius est ut animadvertat lector, morbos fere omnes tractu temporis alios diversi generis sibi adsciscere, ideoq; morbos chronicos plerumq; ante obitum esse complicatos. Ne ergo putet quicquid in defunctis corporibus etiam ab hoc morbo extinctis præternaturale reperitur, ad hunc affectum necessario pertinere; forte etiam magis id alium morbum huic ante mortem supervenientem quam hunc ipsum respiciat. Et profecto Anatomici frequenter ad hanc cautionem non satis attenti, graviter in suis observationibus lapsi sunt, dum quæ ad alium morbum spectant, alteri eum quo ante obitum complicatus erat adscripserunt. Hunc ergo errorem quo præcaveamus, non temere ex unius aut alterius corporis inspectione pronunciandum est, at multiplici seduloq; facto experimento distinguendum prius est, quæ perpetuo, quæ plerumque, quæ

Frequens Anatomicorum error.

frequenter

frequenter, quę raro in dissectis ab eodem morbo occumbentibus occurrant. Enimvero sciendum est quicquid non perpetuo adest in corporibus apertis eodem morbo extinctis, ad primam id, intimamque ejus essentiam spectare non posse, uti etiam neque illud quod in variis corporibus reperitur, quibus morbus abest. Neque enim morbus ipse existere potest separatus à sua essentia, neque essentia à morbo. Verum de his satis. Progrediamur jam ad ipsas observationes.

Observata hæc nostra Anatomica distinguuntur in ea quæ extrinsecus, nondum aperto corpore occurrunt; & ea quæ non nisi dissecto prius corpore se offerunt. Observationum Anatomicarum hunc morbum spectantium duo genera

I. *Prioris generis sunt hæc, quæ statim denudato defuncto exterius occurrunt.*

1. Irregularis seu irrationalis partium proportio. Caput nempe justo majus, faciesque habitior respectu reliquarum partium: Atque hoc quidem in omnibus hoc morbo extinctis quos hactenus vidimus apparuit, unico tantum excepto, qui simul cum hoc affectu suppuratos habuit pulmones, Phthisique confectus est. Hic vero habuit etiam per totum ferme morbi decursum caput majusculum, faciemq; pleniorem; atqui per quatuordecim circiter dies ante obitum subito collapsæ sunt partes carnosæ circa caput, faciesque Hippocratica reddita est, non sine omnium assistentium propter subitam mutationem admiratione.

2. Membra externa, musculique totius corporis graciles & emaciati, quasi atrophia vel tabe absumti cernuntur. Atque hoc (quantum quidem scimus) perpetuo observatur in iis qui ab hoc affectu intereunt,

3. Cutis universa, tum vera, tum membrana carnosa & adiposa, flaccida & quasi pendula, laxæque instar chirothecæ apparet, ita ut multo plus carnium eas continere posse putes.

4. Circa articulos, præsertim in carpis & talis protuberantiæ quædam exstant, quæ si aperiantur, non in partibus carnosis aut membranosis, sed in ipsis ossium extremis, præcipue in eorum epiphysibus radicari deprehenduntur. Quod si forte has ossium prominentias lima radas, facile percipies eas esse ejusdem similaris substantiæ cum cæteris ossium partibus.

5. Articuli, artus habitusque omnium externarum partium minus firmi ac rigidi, minus inflexibiles sunt, quam alias solent observari in defunctis, & speciatim collum post mortem vix riget à frigore, aut saltem multo minus quam in aliis cadaveribus.

6. Pectus exterius macrum, & valde angustum, præsertim sub alis, & à lateribus quasi compressum conspicitur, sternum vero nonnihil acuminatum, instar carinæ navis, aut pectoris gallinæ.

7. Costarum extrema quibus cum cartilaginibus sterni committuntur nodosa sunt, quemadmodum de articulis carpi & tali diximus.

8. Abdomen exterius quidem respectu nempe partium continentium macrum est, interius vero respectu contentarum nonnihil prominens, tumidiusculum & tensum sentitur. Atque hæc observavimus nondum reseratis ventribus.

II. *Aperto abdomine hæc porro no-*
tavimus. 1. He-

1. Hepar in omnibus à nobis dissectis justo majus, alias autem non male coloratum, neque valde induratum aliove aliquo vitio notabili contaminatum. Excipienda hic volumus nonnulla corpora in quibus ante obitum alii morbi cum hoc implicati fuerunt, quemadmodum in hydropico & extreme tabido meminimus.

2. Lienem ut plurimum (quantum nempe hactenus nobis vidisse licuit) non contemnendum, sive magnitudinem, sive colorem & substantiam ejus spectes, quamvis propter complicationem cum aliis morbis aliter accidere posse non negemus.

3. Aquam serosam in cavitatem abdominis elapsam aliquoties vidimus, sed neque frequenter neque eam valde copiosam.

4 Ventriculum & intestina nonnihil ultra morem sanorum flatibus repleta, quæ ex parte caussa esse potest tensionis hypochondriorum supra memoratæ.

5 Mesenterium aliquando inculpatum aliquando glandibus justo majoribus, si non strumis affectum. Cæterum de pancreate nihil certi hic pronunciamus; suspicamur tantummodo posse hic nonnunquam obstructiones, si non scirrhum, accidere. Sed aliis hoc relinquimus inquirendum.

6 Renes, ureteres, vesicam, nisi alius adfuerit morbus, satis sanos. Notamus in genere de visceribus omnibus in hoc ventre contentis, quod licet partes ea continentes, ut supra monuimus, multa

tum extenuatæ & emaciatæ occurrant, ipsa tamen æque magna ac plena, si non majora & pleniora, ut de hepate dictum, quam in sanis deprehenduntur.

III. *Detracto sterno in thorace hæc sese ostentarunt.*

1. Adnatcentia quædam pulmonum cum pleura quæ in omnibus quos hactenus dissecuimus plus minusve adfuit. Arbitramur tamen contingere posse hunc affectum sine hujusmodi coalescentia, licet ea in progressu morbi plerumque ante obitum superveniat.

2. Pulmonum infarctus non minus frequentes, præsertim in ipsis partibus adnascentibus: Tumores item eorum duri à sanguine crassiori, viscidiori, & nonnihil nigricante nati, modo in uno, modo pluribus pulmonum lobis, non tamen hi semper conspiciuntur, frequenter quoque abscessus, & empyemata.

3. Aliquis nostrum testatur se semel vidisse glandulas strumosas, tam numerosas, ut viderentur æquare, si non superare magnitudinem ipsorum pulmonum: sitæ autem fuerunt utrinque inter pulmones & mediastinum, & à thymo usque ad diaphragma protensæ.

4. In cavitate thoracis vidimus aliquando aquas serosas collectas & frequentius quidem quam in cavitate abdominis, non tamen in omnibus.

5. Vidit & aliquis nostrum affectum hunc complicatum cum magno empyemate, simulque phthisi: Amoto sterno, pulmones sinistri lateris toti abscessu occupati sunt, atque undique pleuræ adnati com-

compresso leviter tumore, pus copiosum, subflavum, crassum, & fœtidum per tracheam arteriam in ipsum os effluxit. Eorum membrana exterior qua firmiter pleuræ adnati sunt, crassior apparuit solito, eaque mediante lobi iltius lateris ita coaluerunt, ut vix in lobos distinguere potuisses: eadem etiam membrana tum pulmones, tum ipsum abscessum involvit, qua aperta in conspectum venit magnitudo abscessus, qui adstantium æstimatione continuit ad minimum lb. ii. puris: tantum abscessum in tantillo corpore merito quis miretur? sed is totum ferme sinistrum latus occupavit, parenchyma pulmonum iltius lateris corruptum erat, semiputridum, & pure quasi intertextum.

6. Thymus in puerili ætate semper magnus solet deprehendi, & forte adhuc major in iis qui ex hoc morbo intereunt.

IV. *Cranio orbiculatim serra circumsciso, ejusque operculo sublato, hæc observavimus.*

1. Duram matrem firmius, atque in pluribus locis quam solet in adultis, cranio adhæsisse: forte idem observari potest in aliis pueris hoc morbo non affectis, licet, ut opinamur, non tantopere; siquidem certum est in recens-natis multas esse, & arctas connexiones pericranii cum dura matre, quæ, postea abrumpuntur vixque notari possunt.

2. Inter duram & piam matrem, atque in ipsis ventriculis cerebri, serosas aquas in nonnullis à nobis dissectis reperimus; unde patet affectum hunc cum hydrocephalo complicari posse.

3. Cere-

3. Cerebrum in aliis à nobis dissectis satis firmum & inculpabile neque illuvie serosa inundatum deprehendimus.

4. Et ultimo observavimus jam aliquoties in corporibus novissime à nobis apertis, carotides justa proportione ampliores fuisse, similiter quoque venas jugulares; arterias vero venasque ad exteriores partes delatas multo exiliores debito exstitisse.

An vero hoc perpetuum sit in hoc affectu nondum, ut oculati testes asserere possumus: suspicamur quidem ita se rem habere perpetuo, sed non venerat nobis in mentem id antea ab initio nostræ Anatomicæ circa hoc subjectum indaginis scrutari.

His jam præmissis ad morbi hujus essentiam investigandam proceramus.

CAP.

CAP. III.

Ad faciliorem inventionem eſſentiæ morbi, ſuppoſita quædam proponuntur. Primum de eſſentia ſanitatis. Secundum de eßentia morbi. Tertium de triplici diviſione ſanitatis & morborum. Explicatio tertiæ diviſionis uſuſque ejuſdem. Deſcriptio conſtitutionis naturalis, ejuſdem exaltatio. Quartum ſuppoſitum de combinatione trium conſtitutionum in iiſdem partibus.

QUO clarius in hujus affectus eſſentia inveſtiganda procedamus, ſuppoſita ſequentia utiliter præmitti poſſe duximus.

Primum. De eſſentia ſanitatis.

I. *Eſſentiam ſanitatis conſiſtere in aliqua conſtitutione corporis ſecundum naturam.* Hæc autem cum duplex ſit genere, altera *eßentialis* & neceſſaria, reſpiciens τὸ *eſſe* ſimpliciter, quæ durante vita ſub variis affectionibus immobilis & immutabilis

bilis permanet, consistens in indivisibili; altera *accidentalis*, respiciens τὸ *bene esse*, quæ respectu totius animalis mobilis & mutabilis est, magnamque latitudinem habet, & adesse atque abesse potest sine totius interitu; non consistit sanitas in priori, sed posteriori constitutione.

Secundum. De essentia morbi.

II. *Essentiam morbi similiter non consistere in constitutione essentiali.* Sic enim mox sequeretur interitus totius; sed in *accidentali* constitutione, tali videlicet, quę respectu totius adesse vel abesse potest sine ejus interitu. Diximus (non sine ratione) hanc constitutionem, in qua sanitas & morbus fundantur, esse mobilem & accidentalem respectu totius; potest enim hæc ipsa esse essentialis respectu alicujus partis, verbi gratia; abscisso digito oritur morbus in numero deficiente partium, qui quidem respectu totius fundatur in constitutione accidentali, nam potest vel adesse ille digitus vel abesse sine totius interitu; at vero respectu ipsius membri amissi fundatur in constitutione essentiali; posito quippe hoc morbo interit essentia istius digiti.

Tertium. De triplici divisione sanitatis & morborum.

III. *Constitutionem, in qua consistit essentia tum sanitatis tum morbi, triplicem modum divisionis seu distinctionis in disciplinæ methodo admittere. Primus* est paulo *crassior* & resolvitur in partes plane concretas, procedit nempe κατὰ τόπους secundum partium divisionem à capite ad calcem. *Secundus* pure *abstractus* est, & rimatur omnia elementa constitutionis mobilis, unde morbi dividuntur in similares, organicas & cõmunes; deinde varie subdividuntur in intemperies, vitia figurę, superficiei, cavitatũ & meatuum, magnitudinis, numeri, situs

&

continuitatis. *Tertius* modus quaſi *medius* eſt, & licet hactenus neglectus ſit, ſuum tamen uſum non contemnendum habere poſſe in morborum tractatione, cauſarumque morbificarum inveſtigatione ſpondere audemus; eſtque in conſtitutionem *naturalem, vitalem & animalem.*

Explicatio tertiæ diviſionis.

Prima eſt propria & inſita cujuſvis partis, ei competens abſolute & ſine dependentia ab aliis partibus quoad eſſe ſimpliciter: Hæc poſt mortem aliquandiu adhuc ſupereſt donec per putredinem, ambuſtionem, implicem exſiccationem, mummificationem, petrificationem, ſimileſque violentas cauſſas diſſolvitur. Conſtitutio hæc quoad ſuum *eſſe* ſimpliciter, non dependet a membris influxum præſtantibus; at quoad ſuum tum *conſervari* tum *operari* ab iis dependet: Nam poſt mortem ceſſante influxu vitali (qui ejus quaſi ſal & condimentum eſt) brevi perit, & dum vivit animal, varie hæc ab influxibus aſficitur, unde ejus actiones vel promoventur vel impediuntur.

Ejus primum membrum.

Secunda eſt conſtitutio vitalis, quæ per continuum illum influxum à corde per arterias in univerſi corporis partes producitur. Hæc etſi gradus admittat & ſecundum magis & minus ſæpenumero variet, & interdum quoque quandam eclipſin pati videatur, ut in lipothymia, ſyncope, &c. a primo tamen ad ultimum vitæ termi-num (ſaltem in ſuo fonte & aliis non-nullis partibus) perſeverat.

Secundum membrum.

Tertia eſt conſtitutio animalis quæ à cerebro per nervos in organa ſenſus & motus derivatur. Hæc ſæpe in variis partibus plane

Tertium membrum.

plane deeſt ſuperſtite illarum vita; quin imo poſſet ſimul in omnibus partibus diu deficere, niſi reſpiratio, quæ ad vitam abſolute neceſſaria eſt, ab ea dependeret. Hæ ergo conſtitutiones eam connexionem inter ſe ſervant, ut ſecunda prioris & tertia ſecundæ exiſtentiam ſemper & continue in parte præſupponat, non autem viceverſa ita abſolute inter ſe dependent; quin (ut modo diximus) prior aliquandiu ſine ſecunda, & ſecunda fere omnino ſine tertia ſubſiſtere queat. Atque hæ tres conſtitutiones in pleriſque corporis partibus manifeſte percipi poſſunt; non tamen in omnibus eas invenire dicimus. *Naturalis* quidem & *vitalis* nulli parti deeſt; *Animalis* autem in oſſibus (licet de dentibus ambigi poſſit) cartilaginibus, forte ligamentis, & nonnullis parenchymatis, ut Hepatis, Lienis, &c. deficit. Quibus ergo facultas *naturalis*, *vitalis*, *animalis* communicatur, iis omnibus triplicem hanc conſtitutionem ineſſe aſſerimus. Etenim quamvis dictæ facultates quoad actum primum dicantur ab anima dependere (quæ relatio non ſpectat ad artem medicam) quoad actum tamen ſecundum neceſſario radicantur in aliqua materiali conſtitutione partium ad quas pertinent. Nam quod dicunt aliqui facultatem vitalem à corde, animalem à cerebro ad cæteras partes derivari, non id ita accipiendum eſt, quaſi ipſæ facultates vago modo tranſeant à parte ad partes (à nullo quippe intellectu concipi poteſt accidentis de ſubjecto in ſubjectum migratio) ſed quod cum & in

ſpiritu

spiritu vitali facultas vitalis à corde
d partes derivetur, aut saltem ex aliquo
motu cordis & arteriarum in partibus
ipsis excitetur, & similiter facultas ani-
malis vel in, & cum spiritu animali per
nervos descendat, vel motu aliquo nervo-
um in cerebro in partibus producatur.
Utrovis modo id fiat, necesse est fatea-
mur aliquam alterationem sive ex spiri-
ibus dictis, sive ex motibus in ipsam par-
em recipientem imprimi. Quæ alteratio
t hic conceditur esse radix facultatis, seu
vitalis, seu animalis in respectivis parti-
ous, ita est constitutio mobilis; siqui-
dem varie immutari, intendi & remitti
potest sine totius interitu; & est constitu-
io in qua consistere potest vel sanitas vel
morbus, quandoquidem ubi illa alteratio
partibus quibus debetur defecerit, aut alio
modo quam oportet administrata fuerit,
actio exinde læsa necessario sequetur; sin
recte perficiatur, integra sanitas ex parte
istius constitutionis adesse dicitur. Cum
ergo præter constitutionem naturalem &
insitum duo genera alterationum, alte-
rum ab influxu cordis, alterum ab influxu
cerebri in plurimis partibus inveniantur;
& cum dictæ alterationes, quatenus ipsæ
vel perfectiores vel imperfectiores sunt,
facultates in respectivis partibus (saltem
quoad actum secundum) constituant per-
fectiores vel imperfectiores, adeoque acti-
ones exinde læsæ vel integræ edantur,
necesse est triplicem hanc constitutionem
plurimis partibus inesse, dictaque genera
alterationum esse constitutiones medicas
in quibus *sanitas & morbus* fundari possit.

Quod

Usus dictæ divisionis.

Quod dicta divisio seu distinctio non sit plane inutilis ex eo liquet quod Practici in suis methodis recte moneant, in morbis obscurioribus diligentius observandas esse facultates quarum actiones læsæ deprehenduntur, ut inde quasi manu ducamur ad originem morbi inveniendam; si vero tanti momenti sit impeditas in morbis facultates annotasse, certe non minoris erit ipsas constitutiones à quibus dictæ facultates immediate dependent, accurate consideraſſe.

Non coincidit cum prioribus.

Sed ne quis putet hanc tertiam divisionem propemodu coincidere eũ secunda, observare poterit, si diligenter rem perpendere velit, quodvis membrum hujus divisionis quodam modo includere omnia membra proxime præcedentis: nempe constitutionem naturalem continere primario quidem constitutionem similarem, secundario autem & in ordine ad totum animal comprehendere quodam modo conformationem & continuitatem; similiter constitutionem vitalem & animalem suo modo participare de omnibus membris divisionis dictæ clarius est quam ut egeat probatione. Monendum tantum (quod & modo innuimus) naturalẽ constitutionẽ primario & præcipue respicere temperamentum qualitates commmunes (quas aliqui vocant modos materiæ) & spirituum copiam peculiaremque eorum dispositionem (quæ ad formam totamq; substantiam à nonnullis referuntur) organizationẽ vero & continuitatem quasi secundario & in ordine ad totum animal respicere,

ſpicere, vixque aliter ab his lædi. Non
iſſimulandum tamen vitiari interdum
onſtitutionem naturalem, quatenus me-
organica eſt, ut in obſtructionibus
eatuum naturalium; exempli gratia,
bicalculus in meatu ureteris aut ure-
ræ impactus eſt, ſimilibuſque caſibus.
tqui hoc accidit ei maxime quatenus
eatus ordinatur in uſum totius; ut
lurimum autem vitia organica in con-
itutione naturali minoris notæ ſunt
uam vitia ſimilaria.

Atque hæc de triplici hac conſtitutio-
e in genere conſiderata ſufficiant. Pauca
unc & paucis in ſpecie de iis dicamus.

Conſtitutio naturalis quæ propria & inſi-
a cujuſque partis eſt, deſcribi poteſt
uod ſit modus quidem eſſendi natura-
is, partibus inſitus, iis competens, qua-
enus ſuis temperamento & qualitatibus
communibus, ſua ſufficienti portione ac
convenienti diſpoſitione ſpirituũ inſito-
um, ſuaque juſta conformatione & con-
inuitate conſtituuntur aptæ ad actio-
nes naturales concurrente una influxu
vitali (& forte animali) perfectas eden-
das. Itaque ubi adfuit in parte aliqua
juſtum temperamentum, convenientes
qualitates communes, juſta proportio ac
diſpoſitio ſpirituum inſitorum, demum
juſta ejus conformatio & unitas, atque
naturalis ejus actio, nihilominus læditur,
concludere licet eam non lædi ex parte
conſtitutionis naturalis, ſed ratione cauſ-
ſæ concurrentis, ſcilicet influxus ſeu vi-
talis, ſeu animalis ſeu utriuſque. Enim-
vero naturales actiones in animalibus
propter vitæ conjugium ad eminentio-
rem

Deſcriptio conſtitutionis naturalis.

rem conditionem (quam alias per sola naturalem constitutionem attingeren evehuntur. Atque hinc contingit, qu etsi constitutio naturalis in mactatis an malibus aliquandiu post mortem illa permanet, attractio tamen, retenti coctio alimenti, & expulsio excremen plane cessent. Et in morbis quoque se illæsa primo constitutione naturali, ac tamen naturalis læsa editur ob solu defectum concursus influxus vitalis debi ti: similiter aliquando constitutione n turali, & vitali integris, læditur tame actio aliqua naturalis ob defectum con cursus alicujus animalis debiti; sed ho fere accidit in solis partibus nervosi fibrosis, & membranosis, præsertim ut cavitatem formant, non vero in partiu parenchymatis. Ut in paralysi frequente excrementa indebite retinentur cæter constitutionibus sanis ex solo stupore in testinorum. Itaque in hisce casibus no statim, quod actio aliqua naturalis læs sit, concludendum est constitutionem naturalem esse vitialem primo, sed diligenter investiganda est ipsa constitutio primo læsa, quæ mali radix seu prim essentia æstimanda est; similiter læs actione aliqua vitali non statim inferendum, constitutionem vitalem primario vitiari; siquidem interdum a constitutione naturali, aut forte animali prima origo rectius deducetur. Exempli gratia Digitus aliquis ex intenso frigore sphacelo correptus esto: in hoc casu quidem verum est vitalis sanguinis influxum plane intercipi; origo tamen interceptionis

ionis in naturali conſtitutione ipſius partis ita refrigeratæ quærenda eſt; ſimiliter in convulſione ſorte nonnihil impeditur aut turbatur circuitus ſanguinis: at prima læſio adſcribenda eſt conſtitutioni animali non vitali. E contra in febre caput petitur, ſed fons mali ſorte in conſtitutione vitali reperietur: Item eliquantur ſorte carnes omneſque vires naturales dejiciuntur; ſed radix mali in conſtitutione vitali non in naturali invenietur: Adeo ut quælibet conſtitutio ex tribus dictis poſſit eſſe in aliis atque aliis morbis modo prima, modo ſecunda, modo tertia actionum læſarum cauſſa.

IV. Non modo plurimas alias corporis partes (imo ſimpliciter omnes ſenſibiles) quæ influxum non præſtant, neque ei deſerendo inſerviunt, ſed præterea & cor ipſum & arterias omnes & cerebrum & nervos omnes triplicem hanc conſtitutionem naturaliter admittere, ita ut cerebrum (præter vitium in naturali ſua conſtitutione) à Spiritu vitali qui per arterias venaſque defertur, bene affecto juvari, male affecto lædi poſſit: Cor ſimiliter ab influxu animali per nervum recurrentem ſexti paris; arteriæ quoque ab influxu animali per nervos modo ſorte hactenus in comperto; denique nervi à Spiritu vitali per arterias deducto.

Quartum. Trium conſtitutionum convenientia in iiſdem partibus.

Cap. IV.

Essentiam hujus morbi non consistere in constitutione Animali nec Vitali, sed Naturali, non qua Organica, sed qua similari: limitationes tres proponuntur.

His jam præsuppositis inquirendum est in qua constitutione partium prima radix seu essentia hujus affectus statuenda sit. Sit ergo prima conclusio.

Prima conclusio. Essentiam hujus morbi non consistere in constitutione animali.

Prima radix hujus affectus non est in constitutione animali, seu illa quæ à cerebri influxu in partes dependet. Equidem fatemur nervos omnes qui extra calvariam è spinali medulla procedunt, laxos & debiles in hoc affectu reperiri; non tamen id videtur hic primario à defectu influxus cerebri oriri; quod sic probamus, 1. Laxitas & debilitas nervorum primario à cerebro proveniens, semper fere somnolentiam comitem secum trahit; Atqui in hoc affectu symptoma hoc non solet observari nisi raro & per accidens contingens. 2. Nunquam quod meminimus, Paralysin, aut Apoplexiam huic affectui supervenisse novimus; deberet autem necessario, sæpius (saltem in morbo confirmato) evenire, si laxitas & debilitas

hæc

hæc nervorum à defectu influxus cerebri originem duceret. 3. In multis post mortem dissectis, cerebrum satis firmum, & inculpabile deprehendimus. 4. Ut plurimum hoc affectu laborantes ingeniosi sunt pro ratione ætatis, quod Cerebri vim & vigorem luculenter attestatur.

Secunda. Non in vitali.

Secunda conclusio. *Prima radix hujus affectus non est in constitutione vitali, seu illa quæ à cordis influxu in partes dependet.* Inæqualis quidem distributio sanguinis vere (si non omnino) perpetua in hoc affectu observari potest; at prima tamen ratio hujus inæqualitatis non inæqualiati influxus cordis vel arteriarum, sed inæquali receptioni & aptitudini ad recipiendum in partibus ipsis adscribenda est: Etenim Cor & Arteriæ ex parte sui indiscriminatim sanguinem cum spiritibus in partes quaquaversum diffundunt. Quod si contingat arteriam alicujus partis ob torporem istius partis, aut partium vicinarum impediri in actione sua, necessum est eo diminute sanguinem transmittat, adeoque inæqualiter respectu cæterarum partium expedite sanguinem recipientem. Itaque in hoc casu inæqualitas hæc distributionis primo & per se dependet à præexistente vitio extra arteriam ad naturalem constitutionem partium pertinere.

Objectio.

Sed objiciat aliquis: *Licet forte inæqualitas prædicta non dependeat à Corde, attamen posse ut debilis pulsus sufficiat distributioni sanguinis per circulos minores in partibus interioribus, dum non æque sufficiat isti muneri obeundo per circulos majores*

in partibus exterioribus longius à corde calo-
ris fonte remotis.

Respons. *Respondemus*, tanti momenti penes aliquem è nobis fuisse olim hanc objectionem ut talem inæqualitatem influxus vitalis ad primam hujus morbi essentiam pertinere existimaverit, primorumque adeo symptomatum rationem ab ea conatus fuerit deducere. Post secundas vero cogitationes, re penitius examinata, visum est ipsi, hanc inæqualitatem influxus vitalis non ad primariam, sed secundariam morbi essentiam referre. Sed ad *Argumentum solvendum* redeamus. Et *primo* quidem concedimus in hoc affectu distributionem sanguinis vitalis esse inæqualem; atque in partibus interioribus & capite esse liberaliorem, in exterioribus parciorem. Concedimus *secundo* posse circulationem sanguinis in interioribus partibus servari, nullo etiam apparente pulsu in partibus exterioribus; sed hoc contingit solum in extrema virium vitalium vel debilitate vel oppressione, ut in lipothymia, & validiori paroxysmo hysterico, in quo affectu nonnullæ pro mortuis habitæ revixisse denuo visæ sunt. Concedimus *tertio* circulationem sanguinis liberaliorem esse posse in internis quam externis partibus, quin & in una aliqua externa parte præ cæteris, ut in inflammatione alicujus externi membri accidit.

His jam concessis, asserimus, in *casu primo* inæqualitatem distributionis sanguinis non primo dependere à debilitate virtutis pulsificæ quatenus cor spectat.

Atqui

Atque in promptu ratio est. Cor quippe, ut supra diximus, ex se indiscriminatim unoque tenore sanguinem in Aortam protrudit, etiam tum quando ejus pulsus maxime debilis est. Aorta quæ recepit exonerat se qua potest expeditissime, atque hinc fit quod sanguinis diffusio inæqualiter peragatur, prout facilius sanguis ex uno ramo & difficilius ex alio impellitur. Inæqualitas tamen hæc non cordi primo, & per se, sed partibus recipientibus, arteriisque particularibus transmittentibus adscribenda est. Affectus enim quivis in corde primarius necessario universalis est, & omnibus corporis partibus communicatus: quapropter etsi hanc inæqualitatem circulationis sanguinis in secundaria hujus morbi essentia concedamus, à primaria tamen excludimus.

Porro in *casu secundo* proposito dicimus magnam esse disparitatem inter casus extremæ necessitatis, & casus ordinarios; neque profecto scimus an in dictis casibus circuitus in interioribus, ut ut detur, sit alicujus momenti. Et quod ad præsens negotium attinet, negamus in hoc affectu eam esse cordis debilitatem, ut pulsus in externis deficiat; imo nondum observavimus quenquam hoc morbo laborantem facile in ecstasin aut lipothymiam incidisse, quod promte contingeret, si radix morbi in ipsius cordis debilitate stabiliretur. Præterea cum viderimus ægros in tenellula ætate, sine lapsu virium ferre interdum liberalem sanguinis è sectis auribus venulis eductionem, imo & nonnunquam repetitis vicibus id

actum cum emolumento: Denique cum & purgationes, pro ratione ætatis, optime tolerent, non nobis liquet qui prima morbi radix vitalis constitutionis debilitati attribui possit.

Tandem in *casu tertio* evidenter patet primam radicem inæqualis circuitus sanguinis esse dispositionem aliquam partis externæ, ut in membro inflammato, laborante nimirum privato morbo, plenior & impetuosior accidit pulsus ob calorem arteriæ adventitium, à parte scilicet externa plus æquo calefacta impressum.

Tertia. Consistere in naturali.

Quandoquidem ergo essentia hujus affectus neque in animali neque in vitali constitutione partium primario fundetur (ut modo ostendimus) sequitur (quæ Tertia Conclusio esto) *Essentiam primariam sive primam radicem hujus affectus consistere in constitutione propria, sive insita partium.* Cum vero constitutio naturalis (ut supra diximus) partim in communibus qualitatibus & temperamento, partim in justa copia & dispositione spirituum insitorum, partim in organica constructione & continuitate consistat, proximum est, ut in qua, è dictis, constitutione, & an in una aliqua, an pluribus vel simul omnibus fundetur, investigemus. Sit ergo Quarta conclusio.

Non in constitutione naturali qua organica.

Affectus hic non radicatur in organica partium constitutione. Quamvis enim tractu temporis ipsa organa secundum suam confirmationem, quantitatem & situm variis modis afficiantur, ut satis liquet ex aucta capitis hepatis, & c. mole,

ex

ex tumoribus ossium ad carpos, talos & extremitatis costarum; ex obstructionibus variis, externarumque partium extenuatione; cum tamen hæc omnia ab altiori adhuc origine dependeant, ut ut in morbo confirmato varieque jam decomposito necessario hæc etiam admittamus; in originali tamen essentia, ob sequentes rationes, censemus rejicienda.

Primo *quod prædictæ læsiones organicæ non statim in initio morbi appareant, sed postea paulatim succrescant*; & licet forte horum nonnulla ab initio radicem in corpore posuisse dicantur; nondum tamen vel sensu immediate percipi possunt, vel ullas actiones manifeste lædunt, adeoque ad primam morbi essentiam nequeunt pertinere.

Secundo, *quod prædicta vitia organica non sint præcipuorum symptomatum quæ ab initio in hoc affectu eluescunt causæ sed effectus potius.* Etenim aucta moles capitis, hepatis, &c. protuberantiæ ossium, maciesque partium externarum, rectius ad inæqualitatem nutritionis, ut earum causam referuntur, quam ut è contra inæqualitates nutritionis illis adscribi possit. Nam ubi pars aliqua nimio opere excrescit, aliaque debito incremento defraudatur, necesse est ut non modo adsit, sed & præexistat inæqualis atque improportionata nutritio, qua illa plus, hæc minus justo alatur. Cum autem inæqualis nutritio sit actio læsa, adeoque symptoma præsupponens morbum aliquem præexistentem, ipsa tamen

(quemadmodum jam diximus) præcedat, ut cauſſa, dicta vitia organica, manifeſtum eſt dicta vitia organica non eſſe primam radicem hujus morbi. Quod attinet ad obſtructiones, quæ revera plerumque cum hoc morbo conjunguntur, illas nihilominus à prima eſſentia morbi excludere par eſt, quod neque morbum ſpecificent, nec ab illis ratio ſymptomatum reddi poſſit, neque centum aliquam determinatamque partem nobilem perpetuo obſideant. Conjiciat forte aliquis, qui ad auctam magnitudinem jecoris reſpexerit, id perpetuo in hoc affectu eſſe obſtructum, indeque vitiata ſanguificatione cætera mala derivari; ſed ſi tumor hic hepatis ex obſtructione ejus ſemper contingeret, neceſſario affectum hunc comitaretur perpetuo pallor faciei, cachexia, & tractu temporis ipſe hydrops, quinetiam color hepatis ſemper vitiatus deprehenderetur, tumoreſque duri & nodi in ejus ſubſtantia, præſertim in morbo inveterato, illoque qui ægrum interemit per diſſectionem obſervarentur; at cum hæc non ita frequenter (nedum ſemper) in defunctis occurrant, aucta ejus moles ad irregularem nutritionem potius referenda eſt. Porro non diſſimulamus in iis quos affectus hic è medio ſuſtulit, ut plurimum, nos per anatomen obſervaſſe obſtructiones, tumores varios, nodoſque in pulmonibus; ſed atteſtamur quoque infantes aliquos pueroſque nos vidiſſe levius hoc morbo affectos, in quibus nulla ſuſpitio fuit vitiatorum pulmonum; nulla quippe tuſſis adfuit, nulla reſpirationis

tionis læsio, quæ necessario individua obstructionis in pulmonibus comes est.

Tertio quod sufficiens ratio omnium symptomatum huic morbo propriorum, ex aliis fontibus clarius faciliusque derivari possit; ut mox videbimus.

Atque ita satis probavimus affectum hunc quoad primam sui essentiam non consistere in organica partium naturalium constitutione. Eadem argumenta efficacius evincant (pluraque accumulare liceret, si necesse id foret) affectum hunc non fundari in naturalium partium continuitate, ut pluribus verbis non opus sit id comprobare.

Conclusio quinta. *Affectus hic fundatur primario in similari constitutione partium naturalium*, adeoque quoad radicalem essentiam morbus est similaris. Cum autem morbus similaris, qua talis, non perpetuo simplex sit, sed aliquando varie compositus (intemperies nempe vel simplex vel composita, & hæc quidem talis sit non solum ex primis qualitatibus inter se, sed forte adjunctis una qualitatibus occultis, aut, quod nobis magis arridet præsertim in præsenti negotio, certa quadam proportione & modificatione spirituum insitorum) compositum hunc esse morbum judicamus, primamque ac radicalem ejus essentiam consistere asserimus in frigida ac humida intemperie cum defectu & torpore spirituum insitorum in constitutione insita partium primo affectarum concurrentibus. Sed priusquam ad ulteriorem hujus sententiæ explicationem

procedamus, præmittendæ sunt aliquot ejus limitationes.

Limitationes tres.

1. Sit prima, *Esse quasdam corporis partes ab hoc morbo primario, esse alias secundario affectas*: & videntur quidem nobis partes exteriores prius affici quam cerebrum & viscera, ut susius diducemus ubi de partibus affectis acturi sumus.

2. Sit secunda. *Solas partes primario affectas laborare notabili frigida intemperie cum inopia ac torpore spirituum*: Nam cerebrum & viscera moderate forte caleant, satisque spiritibus abundent ob copiosum vitalem influxum; atque excedere in iis possit humiditas ob nimium alimentum affusum: reliquæ autem externæ frigida ac humida intemperie ac torpore spiritus naturalis, &c. semper afficiuntur, unde eas primario hic affici solasque esse sedem primæ hujus morbi essentiæ asserimus.

3. Sit tertia, *Non omnes partes externas & primo affectas ex æquo laborare intemperie frigida & humida, vel inopia ac torpore spirituum*, &c. Etenim ligamenta, tendines & nervi, ex natura sua frigidiora sunt minusque humida, partes musculosæ sive carnosæ humidiores potius sunt, at minus frigidæ; partes cutaneæ fere medio modo se habent, omnes tamen dictæ partes plus minus à naturali temperie versus frigidam & humidam recedunt. Et similiter licet aliæ partes è dictis majorem spirituum copiam & activitatem postulent quam aliæ, omnes tamen, habita justa proportione ad copiam & activitatem singulis respective debitam,

debitam deficiunt, juſtaque proportione deſtituuntur.

Cap. V.

Examinatio ſententiæ propoſitæ per partes, 1. Morbum eſſe intemperiem frigidam. Object. & Reſp. 2. Eſſe humidam. 3. Conſiſtere in Spirituum inopia: Object. Reſp. 4. In ſpirituum torpore.

Morbum eſſe intemperiem frigidam. 1.

SED propius jam examinemus eſſentiam propoſitam, & per partes aſſeramus.

I. Laborare partes primo affectas intemperie frigida probatur: 1. Ex imminuta partium dictarum nutritione. Ut enim calor inſitus ad juſtitiam intenſus plurimum conducit ad promovendam coctionem & appoſitionem alimenti; ita ſi is remiſſior æquo ſit, eandem facile remoratur ac imminuit. 2. Evincitur eadem intemperies ex tarditate & ineptitudine ad motum: tum ex averſatione motus quietiſque affectatione. Nam quemadmodum activitas agilitaſque corporis calori ita tarditas ejus ac ignavia frigori magna ex parte adſcribitur; ſuppoſito nimirum, ut prius, non ab animalis influxus vitio hanc ignaviam dependere.

3. Confirmatur ulterius quod hic morbus ſæpe morbos acutos ſequatur, qui non raro (poſt abſumtum caloris inſiti ſubjectũ) in intemperiem frigidam terminantur: præterea & morbos chronicos corpus extenuantes ſæpius excipiat, & ejuſmodi qui quovis modo intemperiem frigidam poſt ſe relinquere proni ſunt, ut obſtructiones pertinaces, cachexiam, ſcorbutum, &c. Adhæc quod intempeſtivam impetiginis aut ſcabiei ſuppreſſionem ſequatur, ut frequenter obſervavimus, quando rurſus erumpente ſcabie atque pruritu excitato, indeque aucto in externis membris calore tales pueros facile reſtitutos vidimus; quod denique ſæpe eveniat, poſt aſſiduum uſum ciborum frigidorum, craſſorum, viſcidorum, crapulam, otium, ſimileſque cauſſas evidentes, calorem inſitum ſeu imminuentes ſeu obruentes. 4. Confirmatur quod auxilia quæ calorem in externis partibus excitant augent & fovent, ut variæ corporis agitationes, frictiones, illitiones, &c. non minimam partem curationis hujus affectus præſtent. Hiſce omnibus in cumulum conjectis ſatis conſpicuum fit, in morbi hujus primaria eſſentia frigidam intemperiem conſtitutionis inſitæ partium primo affectarum contineri.

Objectio. Objectio hic ſpecioſa occurrit. *Febriculam, præſertim lentam aut erraticam frequenter conjungi cum hoc affectu quæ non videtur conſiſtere poſſe ſimul tempore cum intemperie frigida: Cenſetur enim ab omnibus febris omnis calida intemperies è diametro eſſentiæ dictæ oppoſita.*

Reſpon-

Respondemus (ne quid hic de essentia febris interponamus) largimur, quantum ad præsentem quæstionem spectat, febrem esse intemperiem calidam: non tamen consistit hæc primo in constitutione partium insita, sed in constitutione vitali, nempe in calore influente præternaturaliter affecto. Febris enim non privatus aliquis morbus est, sed universalis & à corde per arterias in & cum spiritu vitali sive nimium accenso sive aliter vitiato diffunditur. Neque respicit præternaturalis hic calor intemperiem insitam aliter, quam ut caussa potens eam varie immutare, sed sensim & paullatim. Nam primo calor influens manifeste est calor actualis, at vero calor constitutionis insitæ tantum potentialis: quare asserimus intemperiem frigidam respectu caloris insiti & potentialis consistere simul posse cum intemperie calida respectu caloris actualis & influentis. Enimvero calor actualis non ita directe adversatur frigidæ intemperiei, quæ talis dicitur ob defectum caloris potentialis, quin satis diu cum ea consistere possit permanente caussa. Exempli gratia, calor actualis consistit in calfacta aqua simplici, aqua hordei, in Julapiis variis & similibus, licet tum etiam potentia, frigidis. Adeo ut calida actu, & calida potentia non gradu, sed specie inter se differant, neque sint ita è directo contraria ut statim se mutuo è subjecto exterminent. Porro secundo intemperies influens calida non tam corrigit insitam intemperiem frigidam, quam per accidens auget, dissipando scilicet ac absumendo

Rest.

absumendo spiritus insitos, in quibus potissimum calor insitus & potentialis residet: Ad eum plane modum quo calor actualis ab igne profectus potentialem vini calorem imminuit. Unde febris cujusvis generis huic morbo superveniens plus damni quam emolumenti ægris adferre solet.

2. Asserimus in partibus primario affectis simul adesse intemperiem humidam; hoc patet ex laxitate & mollitie dictarum partium: atque signum hoc eo fortius rem evincit, quod dictæ partes extenuatæ sint, ut nisi redundaret in iis humiditas, rigiditas quædam & asperitas tactum ferirent; deinde rarissime intemperies frigida sive humida diu persistit: demum juvantia & lædentia idem attestantur, siccantibus quippe juvantur, humectantibus læduntur.

3. Asserimus partibus primo affectis inesse spirituum insitorum inopiam. Probatur hoc primo iisdem ferme argumentis quibus supra intemperiem frigidam adstruximus. Nam primo inæqualis & imminuta nutritio in partibus primo affectis non modo temperamenti frigiditatem, sed & una inopiam spirituum insitorum arguit; aliter enim defectus hic nutri ionis facile cotrigeretur. Etenim frigiditas cum qua non conjungitur spirituum defectus, aut humor peccans impactus, ejus causa facile excutitur, citiusque quam in præsenti solet affectu, ut videre est in partibus hyberno tempore perfrigeratis, verbi gratia, ex nivium contrectatione; partes quippe sic perfrigeratæ,

geratæ, modo rite tractentur, intra aliquot horas ad priſtinum redeunt temperamentum; Ubi vero adeſt intemperies eum materia ejus cauſa conjuncta, aut ſimul adeſt defectus ſpirituum inſitorum, talis ſane intemperies haud ita facile aut cito removetur. Verum in præſenti affectu non ſemper ſaltem cauſſari poſſumus materiam conjunctam aut impactam alicujus notæ in partibus primo affectis, cum eæ flaccidiores, inaniores & plus æquo extenuatæ obſerventur, cumque hic affectus longe diſtet a morbo virgineo & cachexia, in quibus ut plurimũ, non inopia ſpirituum, ſed conjuncta materia ſrigidam intemperiem ſovet: quare recte inferre licet pertinaciã hujus mali maxime dependere a ſpirituũ inſitorum defectu. 2. Idem eodem modo probatur ſecundo argumento ſupra allato pro intemperie frigida, nempe ab ignavia & averſatione motûs. Activitas enim non tantum a temperie, ſed vel maxime a copia ſpirituum dependet: Ut videre licet in viris robuſtis & ſanis, ſpiritibus refertis, qui hyberno tempore rigente gelu promptiores longe & alacriores ad violenta exercitia conſpiciuntur, quam æſtate, quando ſpiritus inſiti nonnihil exſoluti eſſe ſolent. 3. Febres morbique longi & extenuantes, ut intemperiem frigidam ſæpe inſerunt, ita & evidenter minuunt diſſipantque ſpiritus inſitos. Hiſce mediis addimus illud argumentum a conſtitutione parentum deductum. Firmiores (experientia teſte) ac ſolidiores parentes laboribuſque aſſueti

assueti raro proferunt liberos huic morbo obnoxios: debiliores è contra, cachectici, aut aliter valetudinarii, otiosi, molles, delicati, Veneri nimiæ, præmaturæ aut decrepitæ indulgentes, gonorrhæa laborantes, &c. plerumque liberos in hoc malum propensos generant: nimirum, quod seminalia principia minus justa spirituum copia imbuta sint. Procedendum jam foret ad assertionem quartam, nisi quod hic occurrat remora removenda.

Object. Objiciat quippe aliquis insitam intemperiem frigidam subordinari spirituum inopiæ, non vero contradistingui, ut hic supponitur. Nam paucitas spirituum ipsa causa videtur frigidæ intemperiei, insitusque calor sive intensior, sive remissior sequi videtur respective proportionem spirituum insitorum; quippe qui in iisdem ut primo subjecto radicari creditur.

Resp. Respondemus primo, Calorem insitum revera fundari atque primo subjectari in spiritibus insitis. Porro ut calor insitus in duas partes distinguitur, calorem scilicet nativum & acquisititium; ita & spiritus insitus duplex est concipiendus, primogenius sive seminalis in spermate à parentibus derivatus, & acquisititius ex perfecte assimilato alimento contractus. Prior spiritus, caloris insiti nativi est basis, posterior, caloris insiti acquisititii. Non hosce calores spiritusve inter se esse specie plane distinctos volumus; sed origine tantum ac perfectionis gradu, quod, ut variam sortiantur appellationem, sufficit. nam in nutritione assimilatio alimenti procedit

procedit usque ad identitatem specificam, non individualem, quanquam alias quoque gradum perfectionis originalis non attingat. Propterea nobis hic satis fuisse visum est nominasse calorem insitum & spiritum insitum sine ulteriore distinctione; ideoque concedimus calorem insitum fundari & subjectari primo in spiritibus, eundemque nihil aliud esse quam modificationem quandam dictorum spirituum qua à calore vitali irradiati placide nituntur se diffundere atque ampliare ditiones suas attrahendo, retinendo, assimilando similia sibi alimenta, excernendo excrementa, disponendo denique acquisita in sedes debitas. Dicimus quoque nixum hunc (in quo caloris essentiam ponimus) eum sit diffusivus, nonnihil dissipare atque absumere spiritus insitos, qui hujus effectus caussa vulgo nomine humidi radicalis à calore continue depasti appellantur. 2.

Atque huc usque argumento cedimus. Verum 2 loco asserimus calorem insitum à calido temperamento insito differre; quod nimirum calor insitus sit tantum una pars calidi temperamenti insiti. Non enim solus spiritus, sed & sulphur & sal aut bilis forte, suum calorem contribuunt ad constitutionem totius calidi temperamenti insiti, cujus calor insitus est una tantum pars. Quapropter falso in argumento proposito suggeritur solam caussam calidæ intemperiei esse copiam spirituum, frigidæ eorundem paucitatem. Nam lb. j. carnium infantis plures continet spiritus insitos quam lb. j. carnium

juvenis:

juvenis: notissimum tamen est temperamentum juvenis longe calidius esse quam infantuli. Calidum ergo temperamentum non dependere potest à sola copia spirituum, nec frigidum à sola eorum inopia. Quinetiam in multis morbis calida intemperies consistere potest cum paucitate spirituum, ut in Hectica tertii gradûs; similiter frigida cum competenti alias spirituum copia, ut in morbo Virgineo.

3. Dicimus tertio ut copia vel inopia spirituum non perpetuo sufficiens causa est determinationis temperamenti ad calidum aut frigidum; ita vicissim, neque calidum, neque frigidum temperamentum certo & necessario demonstrat copiam vel inopiam spirituum quemadmodum ex instantiis datis liquet: ita ut nec temperamentum certum sit signum quantitatis spirituum, nec quantitas spirituum certum signum temperamenti; & propterea de industria non sine justa causa seperatim hæc ut contradistincta consideranda & examinanda veniunt, si certum & inconfusum horum notitiam assequi libet.

4. Respondemus quarto quod etsi, ut concessum, calor insitus in spiritibus insitis subjectetur, non tamen secundum solam copiam vel inopiam spirituum intenditur is vel remittitur: Spiritus enim ut ut satis copiosi, si tamen nimis fixi sint, torpidi, & quasi gelu quodam constricti, nullum calorem insitum alicujus notæ proferunt. Exempli gratia, albumen ovi spiritibus copiosis turget, torpent

pent illi tamen, adeoque ejus insitus calor inde tam exiguus est, ut non aggrediatur pulli formationem, priusquam vel per incubationem vel alium consimilem calorem excitetur. Licet ergo certo concludere considerationem inopia spirituum satis distinctam esse à temperamenti frigidi insiti consideratione, contra quam videtur ab objecto Argumento insinuatum. Porro ex hoc quarto responsi articulo resultat quarta assertio de essentia proposita, videlicet,

Præter intemperiem & inopiam spirituum addendum esse torporem quendam eorum ut distinctam quoque partem essentiæ morbi. Torpor hic insitorum spirituum maxime elucescit ex imminuta nutritione & avertsatione motûs non proveniente primo ex defectu influxûs cerebri, ut supra probatum est. Item ex eo manifeste cernitur, quod ea omnia quæ torporem spirituum insitorum excutiunt, nec tamen eos plane discutiunt, plurimum conferunt ad hujus morbi curationem: Ut exercitia cujusvis generis gradatim aucta, frictiones, inunctiones, &c. Et interius calefacientia, purgantia, incidentia, aperientia benigna. Quod autem torpor hic satis sit distinctus ab inopia spirituum, præter id quod supra in tertio responsi Articulo diximus, satis ex eo liquet, quod sæpe cum inopia spirituum conjungatur nimia excitatio torpori contraria: ut frequenter accidit in febre hectica, in fluxibus colliquantibus

&

& similibus morbis, in quibus ut ut adsit spirituum penuria, torpor tamen nullus comitatur, quin contra nimia illa excitatio & propensitas ad motum coercenda est.

E contra copiosi spiritus cum torpore consistere possunt, ut in tritico aut farina ejus. Nam etsi parum spirituosum videatur, quod ejus spiritus adhuc in sua fixatione ac torpore delitescant, re ipsa tamen abundant in eo spiritus & simplici fermentatione evocari, atque ad suam manifestandam activitatem excitari possint: quemadmodum cerevisiæ fortiores ex eo confectæ declarant. Similiter ex uvis immaturis succus recenter expressus satis mitis & blandus est, continens interim spiritus copiosos, qui postea, facta debita fermentatione, in vino generoso se produnt.

Concludamus ergo torporem quoque spirituum in hoc affectu distinctam considerationem demereri.

Cap. IV.

Pars primo in hoc morbo affecta.

Proposuimus supra primam hujus morbi essentiam; inquirendum jam restat in primum subjectum in quo ea radicatur.

Cor

Cor & Cerebrum videntur hic recte excludi ob rationes ſupra adductas, quas brevitatis ſtudio repetere omittimus. Non Cor & Cerebrum.

Hepar & Pulmones nondum ab omni ſuſpitione hujus vitii exempti ſunt. Examinabimus ergo ſeorſim hæc viſcera, & primo quidem quærimus.

An hepar ſit ſubjectum primæ eſſentiæ hujus morbi? An hepar ſit ſubjectum primæ eſſentiæ hujus morbi? Rationes quæ affirmativam ſuadeant.

Præcipuum pro affirmativa argumentum eſt, quod morbus hic videatur provenire ex læſa ſanguificatione, cujus officina (ſaltem probabiliter) jecur exiſtimatur, læſam autem ſanguificationem eſſe primam hujus morbi originem multis indiciis manifeſtum reddi videtur. 1. quod hic morbus plerumque ſubſequatur ejuſmodi alios morbos magnos, ſive acutos ſive chronicos, qui utcunque vim ſanguificam hepatis multum prius labefactarunt. 2. quod morbus hic non modo ab externis, ſed & ab internis cauſſis dependeat, ab humoribus nempe vitioſis. Cum autem vitioſi humores in & cum maſſa ſanguinis in hepate generentur, videtur prima morbi eſſentia huc referenda. 3. Obſervatur hepar perpetuo in hoc affectu majus debito, quod manifeſte hepar eſſe affectum teſtatur. 4. Medicamenta interna quæ ſanguinem depurare apta nata ſunt, ad curationem requiruntur, & exhibita multum juvant. 5. Miſſio ſanguinis è venis aurium (non infirmum ad morbum hunc debellandum auxilium) ſatis ſuperque arguit vitium aliquod ſanguinis adeſſe, quod hepatis conſtitutioni, qua

qua sanguificat, videtur esse tribuendum. Argumenta hæc tanti sunt momenti penes nonnullos celeberrimos medicos, ut primam essentiam hujus morbi soli hepati adscripserint.

Earum solutio.

Nos vero satis ad hæc responderi posse existimamus, si prius quidem quæ recte dicta aut ulterius in hanc rem dici possunt, concesserimus, deinde quæ invalida consequentia inferuntur, restrinxerimus.

1. Ergo concedimus in hoc affectu massam sanguinis vitiatam esse, indeque continuum somitem huic morbo subministrari. Concedimus quoque inpræsentiarum hepar esse officinam sanguificationis: negamus vero omnia vitia sanguinis a vitiosa constitutione hepatis sanguifica dependere. Nam primo sanguis vitiari potest à vitiosis ingestis alimentis, jecore alias integro; similiter si coctio prima in ventriculo ex quavis causa extiterit imperfecta, non plene ea per secundam coctionem corrigi potest in hepate etiam quam maxime sano. Præterea, etiamsi generatio vitiosi sanguinis soli hepati adscribenda esset, ad ejusdem tamen generati conservationem aliæ partes necessario concurrerent, puta Renes, Lien, Pancreas, Uterus, &c. Imo & videtur negari non posse omnes partes, quas sanguis suo circuitu perluit eum varie alterare, dum qualitates suas ei pro capacitate subjecti imprimunt: nam ea agentia naturalia sunt, quæ agunt ex necessitate & continue sine interveniente otio, quantum quidem possint:

ſint: ſi ergo hæ male ſint affectæ, ſanguinem eas permeantem magis vel minus inquinant, ut videre licet in contagio ex contactu externo ad partes internas communicato. Quinetiam magna pollutio interdum a partibus cæteris morboſis inſinuatur ſanguini, hepate interim ſalvo, ut nonnunquam in hydropicis poſt mortem diſſectis obſervatum eſt, in quibus hepar ſatis ſanum intergumque deprehenſum eſt. Porro concedimus vitia ſanguinis frequenter a læſa conſtitutione ſanguifica hepatis originem ducere, illamque læſam conſtitutionem eſſe morbum hepatis; negamus vero hunc eſſe morbum de quo agimus, cum tota ſpecie ab ea differat. Eadem enim læſa conſtitutio hepatis æque adultis ac pueris & infantibus communis eſt; hic vero morbus ſolis infantibus & pueris proprius eſt. Tandem concedimus vitioſam conſtitutionem hepatis generando vitioſum ſanguinem poſſe cauſſam communem & fomitem huic morbo aliquando ſubminiſtrare: negamus vero eam eſſe morbum ipſum de quo verba facimus, aut ullam partem primæ eſſentiæ ejuſdem. Aliud enim eſt producere cauſſam morbi communem, aliud eſſe de prima morbi eſſentia: negamus etiam eam eſſe continentem cauſſam hujus morbi, aut eſſe cauſſam ſufficientem per ſe ſolum, aut eſſe ſemper cauſſam: Nam vitioſa conſtitutio hepatis, qualiſcunque ea ſupponatur, non producit hunc affectum in adultis, neque ſorte ſemper in puerulis. Atque hæc in genere

nere ad argumentum respondemus : ad confirmationes ejusdem simili methodo jam procedimus.

1. Ergò concedimus hunc morbum sæpe sequi alios morbos sive acutos, sive chronicos. Sed non tam quod constitutionem sanguificam hæpatis læsissent, quàm quòd partes externas, spiritibus insitis exhaustis, frigidas & torpidas reliquissent : quamvis facile quoque admittamus læsum hepar somitem mali ex vitiosa sanguificatione præstare posse.

2. Concedimus hunc affectum non tantum dependere a causis externis, sed & ab internis, vitiis nempe ipsius sanguinis : quod vero vitia illa omnia in hepate originem ducant, plane negamus ob rationes modo allatas.

3. Concedimus in hoc morbo auctam esse molem hepatis ; atqui eam esse primam morbi essentiam negamus ob rationes supra notatas, ubi vitia organica a prima hujus morbi essentia rejecimus. Admittimus tamen hunc similesque morbos in secundaria hujus affectûs essentia, ut postea videbimus.

4. Concedimus medicamenta interna tum alterare tum depurare posse sanguinem, verum in præsenti affectu eo nomine potissimum ad curationem conducunt, quod facilitent distributionem sanguinis ad membra externa, attenuando ejus partes crassiores & incidendo viscidiores, quodque simul copioso & benigno spiritu sanguinem imprægnent, unde fit, ut insiti partium prius languentium spiritus foveantur, augeantur, & exsuscitentur.

citentur. Interim agnoſcimus generale beneficium, quod toti corpori accedit ex depuratione ſanguinis ſive per ſeceſſum, vomitum, mictionem, ſive alios qualeſcunque evacuationis modos. Tantum id eſt quod aſſerimus, magis ſpecificam partem curationis a medicamentis prædictis præſtari per viam alterationis, quemadmodum dictum eſt.

5. Et ultimo concedimus ſectionem venarum in auribus ſanguinem nonnihil attenuare & ad ejuſdem renovationem conducere, nec non ad ejus diſtributionem ad partes externas, & avocationem a partibus internis ejus copia oppreſſis, adeoque ad totam curationem multum facere: Negamus tamen recte ex eo inferri primam morbi eſſentiam in hepate radicari. Atque ita ſatisfactum putamus rationibus in confirmationem hujus ſententiæ adductis. Argumenta jam nonnulla quæ contrarium ſuadeant in medium proferamus.

1. Prima eſſentia morbi morbum ſpecificat; atqui læſa conſtitutio ſanguifica (qualis qualis ea concipiatur) morbum hunc non ſpecificat. Enimvero cùm morbus hic ad ſolos infantes & pueros pertineat, oportet eos, qui contrariam ſententiam amplectuntur, certum aliquem modum læſæ conſtitutionis ſanguificæ hepatis deſignare, qui ſoli teneræ ætati ſit proprius: Atqui nulla læſio ſanguificæ conſtitutionis hepatis fingi poteſt, quæ non ſit quoque communis adultis; quare ſi in ea conſiſteret prima hujus morbi eſſentia, obſervaretur ſaltem aliquando

Negativa aſſeritur.

aliquando hic morbus in adultis, quod tamen nunquam a quopiam factum.

2. Subjectum primæ essentiæ morbi afficitur, tamdiu illa essentia quamdiu affectus durat. Neque enim morbus existere potest absque sua prima essentia, neque potest illa essentia de parte in partem migrare. Si ergo hepar sit subjectum primæ essentiæ hujus morbi, per totum ejus decursum afficeretur; quod tamen non credibile videtur, cùm in defunctis ex hoc morbo & dissectis, jecur, excepta ejus aucta mole, sæpe secundum cæteras conditiones inculpabile deprehendatur.

3. Si hepar sit subjectum primæ essentiæ hujus morbi, necesse est, ut indies aucto morbo gravius & evidentius affligatur, & certe ante obitum manifestis stigmatibus notetur. Quandoquidem enim omnis morbus naturæ partis, quam obsidet, contrarius sit, eam quotidie magis magisque atterit damnisque novis auget: & licet principia morborum sæpe satis sint obscura, progressu tamen temporis, (& maxime si ad extremum vitæ diem perennent) evidentissima vestigia partibus primario obsessis imprimunt; adeo ut vix fieri possit quin in dissectis primo intuitu deprehendantur: Quamvis etiam ubi in morbum aliquem chronicum per dissectionem corporis ex eo defuncti inquisitio instituitur, sæpe ejus investigatio difficilis reddatur ob alios morbos ante obitum supervenientes vel alias complicatos; pars tamen primo affecta nunquam non graviter & manifeste læsa observari solet. Cum ergo in iis, quos hic morbus

bus è medio sustulit, sæpe satis firmum, excepta mole aucta, vel certe non insigniter læsum deprehendatur, facile erit inferre, non id esse subjectum primæ essentiæ hujus morbi.

4. Si hepar esset subjectum primæ essentiæ hujus morbi, laboraret intemperie frigida & humida, tum inopia & torpore spirituum insitorum ut ex supra-dictis satis liquet. Atqui in præsenti affectu hepar non semper laborat intemperie frigida, ut nec inopia ac torpore spirituum insitorum. Etenim in hoc affectu cum sanguis vitalis parcius ad membra externa distribuatur, fit, ut uberius, quam par est, ad viscera, præsertim cerebrum, & hepar, affundatur; & cum hic sanguis, qui per viscera tam propinqua Cordi circulatur, sit valde calidus & spirituosus, utpote è foco & fonte spirituum vitalium jam jam profectus, fieri non potest ut frigidam intemperiem aut defectum spirituum in partibus, quas tam copioso affluxu alluit, permittat.

5. In hoc affectu sæpe videmus colorem faciei satis floridum genasque rubentes, quod in frigida hepatis intemperie aliquandiu durante contingere vix potest.

6. A læsa constitutione hepatis sanguifica reddi non potest sufficiens ratio symptomatum huic morbo propriorum. Cacotrophia quidem, seu vitiosa nutritio, & atrophia seu diminuta nutritio forte non injuria hepatis culpæ sæpius attribuuntur; alogotrophia vero, seu improportionata nutritio, ad hepar immediate

referri non potest. Hepar etenim univer-
sis partibus æqualiter & sine discrimine
sanguinem conficit, neque uni parti ube-
rius, alteri parcius eum dispensat. Porro
debilitas omnium masculorum, aversatio
motus, affectatio quietis, cum hepate ni-
hil commercii habere videntur; quare
neque hepar primam hujus morbi sedem
agnoscimus.

7. Hic morbus in robustioribus pueris
curatur aliquando solo exercitio, lusu,
jactatione & frictione corporis; quibus
excitatur in externis partibus calor, spi-
ritus novi suscitantur, excutitur eorum
torpor, & alimentum uberius ad membra
externa attrahitur, quæ certe beneficia
magis proprie ad partes externas quam
ad hepar accommodantur.

An pulmones sint subjectum primæ essentiæ hujus morbi.

Atque hac quæstione sic soluta, pergi-
mus ad alteram; *Utrum* viz. *Pulmones*
sint subjectum primæ essentiæ hujus mor-
bi?

Symptomata, quæ affirmativam suade-
re videntur, sunt angustia pectoris fre-
quens, difficultas spirandi, asthma, tussis
inflammatio pulmonum, eorum tuber-
cula, tumores duri, apostemata, denique
phthisis. Verum primo angustia pectoris
non statim ab initio morbi oritur, &
propterea nequit de prima essentia hujus
morbi testari. Similiter difficultas spi-
randi & asthma non perpetuo hunc af-
fectum comitantur, ideoque ab iis indi-
cium partis primo affectæ desumi non
potest. 3. Tussis modo adest, modo ab-
est, sæpiusque varie intenditur & remit-
titur, dum essentia morbi in eodem stat[u]
persistit

perſiſtit; quod & plurimis ex prædictis quoque ſymptomatibus contingit. 4. Inflammatio pulmonum non frequenter hic adeſt: atque ubi accidit, morbus is acutus eſt, non chronicus, quemadmodum hic, de quo agimus; ut à ſymptomate tam raro & tam fugaci nihil certi de parte primo affecta concludere liceat. 5. Tumores duri pulmonum, tubercula, apoſtemata, ut & ſtrumæ poſſunt præcedere, concomitari & ſubſequi hunc affectum; ſed morbi hi plane diverſi ſunt generis ab eo, de quo ſermo eſt; quin & adultis æque ac puerulis communes ſunt. Tandem pthiſis non niſi poſt diuturnam morbi hujus durationem ſupervenire ſoleat, remota eſſe manifeſte appareat, adeoque parum aut nihil conferre poſſit ad partem primo affectam detegendam. Ad hæc inſeparabilia illa & cunctis notiſſima ſymptomata hujus morbi, puta impotentia partium externarum ad motum, & inæqualitas nutritionis, nulla ratione à pulmonibus affectis deduci poſſunt: quare viſcus hoc pro prima hujus morbi ſede admittere non poſſumus. Atque ita tandem ad partes primo affectas indigitandas devenimus.

Partes primo affectæ quæ.

Primum locum mereri videtur ſpinalis medulla calvariam egreſſa: ſecundum, nervi omnes ab eadem producti; tertium, omnes partes membranoſæ ac fibroſæ ad quas nervi iſti deferuntur. Et in hiſce partibus primam hujus morbi eſſentiam radicari ſtatuimus, neque alias partes his aſſociare opus eſſe exiſtimamus. Enimvero mollities, laxitas, atque atonia totius

ſpinæ extra calvariam, omnium nervorum inde ortorum, omnium fibrarum univerſi corporis, adeoque impotentia ad motum, ſegnities quietiſque affectatio, quæ à primis etiam hujus morbi initiis ſe produnt, ſatis ſuperque evincunt partes haſce frigiditate, defectu ac torpore ſpirituum eſſe affectas; atque hinc contingit extenuari eas minuſque quam par eſt, ali. Etenim torporem ſuum extremitatibus arteriarum nonnihil communicant, unde affluxus ſanguinis qui ad eas diſtribuitur, imminuitur; & quia frigidiores ſunt defectuque ſpirituum laborant, affuſum ſanguinem imperfectius coquunt, ut eas minus debito, minuſque cæteris partibus nutriri adeoque extenuari neceſſe ſit. Primam ergo hujus morbi eſſentiam jure meritoque partibus hiſce ſolis adſcribimus.

An oſſa in eas accenter ſenda?

Dubitari tamen hic poteſt, annon oſſa etiam inter partes primo affectas numerari debeant, cum tumores oſſium variis in locis præſertim in epiphyſibus oſſium ad carpos & in extremitatibus coſtarum, ubi cum ſterni cartilaginibus committuntur, ſtatim à prima invaſione morbi obſerventur? Reſpondemus negari quidem non poſſe dictos oſſium tumores cum ratione auctæ magnitudinis tum ratione figuræ vitiatæ revera morbos eſſe, adeoque oſſa vel ad eſſentiam morbi primariam vel ſecundariam referenda eſſe concedimus: At vero ea non pertinere ad eſſentiam morbi primariam ex eo liquet, quod dicti oſſium tumores à prima hujus morbi eſſentia depende-

ant, eamque præexistere supponant. Oriuntur enim ab inæquali partium nutritione quæ symptoma est primæ essentiæ hujus morbi. Quomodo autem inæqualis nutritio ab essentia prima hujus morbi dependeat, suo loco plenius explicandum; ubi nempe ratio essentiæ secundariæ reddenda est. Hic tantum ostendemus illos ossium tumores recte deduci ab inæqualitate nutritionis, quando videlicet ea nimium est aucta in partibus tumentibus respectu cæterarum. Id hoc argumento probatur, quod partes ossium protuberantes qua similares ejusdem plane sint speciei cum cęteris ossium partibus; quare necesse est, ut per eandem viam generationis proveniant, qua cæteræ augentur & crescunt. Quandoquidem ergo reliqua ossa augeantur nutritione, id est, per intus assumtum alimentum sibique assimilatum, pari certe quoque ratione & hæc ossa incrementum suum (etsi ἀλόγως & præter modum mensuramque) acquirere judicandum est. Dicas tumores fere ex vitioso succo non alimentario & legitimo solere generari. Fatemur quidem id plerumque verum esse, sed plerumque tantum. Nam & quidam tumores ex legitimo & alimentario succo proveniunt, ut caruncułæ, fungi & strumæ forte nonnullæ; sed & hi quoque tumores multum differunt a præsenti ossium protuberantia. Etenim tumores isti, quos excrescentias appellare consuevimus, aliquid extra habitum partis, & quid toto

genere præter naturam præ se ferunt: ast hi tumores non excrescunt extra habitum partis, neque aliud præter naturam includunt quam solam magnitudinem improportionate auctam, vitiatamque inde figuram affectarum partium. Nam alias non essent hæ protuberantiæ ejusdem speciei cum reliquo osse, cui continuantur, quod sensuum experientiæ repugnat.

Si igitur dentur tumores nonnulli (etiam inter istos qui plane præter naturam sunt & extra habitum partium consistunt) ex succis alimentariis geniti, certe multo minus intellectu difficile est, protuberantias hasce ossium è legitima ossium materia à facultate insita nutritiva generari formarique. Atque hoc clare eo confirmatur quod ossa secundum naturam similarem legitime nequaquam producantur ex materia illegitima, hoc est, indispositа & dissimili materiæ aliorum ossium similarium. Ex quolibet ligno non fit Mercurius. Agens naturale disponit materiam priusquam formam introducere potest. Materia sic dispositа legitima quoque necessario est. Materia autem ossium protuberantium manifeste est dispositа; aliter enim non reciperet actu formam ossis specificam. Porro quod à facultate nutritiva hi ossium tumores generentur, etiam evidens est, quod nulla alia in corpore nostro detur vis ossifica præter illam nutritivam facultatem ossibus ipsis inditam, & quod tumores hi generentur & augeantur per intus assumptum alimentum, & ab ipsis ossibus assimilatum;

milatum; licet forte reſpectu totius offis hæc alimenti receptio ſit inæqualis, cauſſaque ſufficiens erroris nutritivæ facultatis, quo ex una parte plenius atque in tumorem, ex alia parcius iſta oſſa augeantur.

CAP. VII.

Secundaria hujus morbi eſſentia.

ABſolutis tum prima ac radicali hujus morbi eſſentia, tum partibus primo affectis, examinanda jam porro venit eſſentia, ſi quæ ſit ſecundaria, quæ nempe morbum hunc immediate conſequitur. Atque hic in memoriam revocanda eſt triplex conſtitutio ſuperius aſſerta, *Naturalis*, *Vitalis*, *Animalis*, & per ſe haſce ſingulas conſtitutiones procedet examen. Et primo quidem conſideremus naturalem conſtitutionem. Hanc ſupra conſiſtere docuimus in Temperamento, qualitatibus communibus, copia & diſpoſitione ſpirituum inſitorum, in organizatione, & continuitate: Et quidem in temperamento & copia ac diſpoſitione ſpirituum inſitorum primam morbi eſſentiam fundari adſtruximus: reliquæ autem partes hujus conſtitutionis, puta, qualitates communes, organizatio, & continuitas ſuperſunt adhuc percurrendæ.

Qualitates communes.

Per *qualitates communes* easdem prope intelligimus quas alii nonnulli modos materiæ, alii qualitates secundas appellare consueverunt. Vocamus autem has *communes*, quod nulli soli elemento aut formę adstringantur, sed quodammodo expatientur per omnia corpora eaque fere plus minusve afficiant. Ejusmodi sunt, Densitas, raritas; consistentia, fluiditas, tenacitas, friabilitas; laxitas, tensio; (seu potius tensitas, ut distinguatur habitus ab actione) flacciditas, turgescentia & rigiditas; mollities, durities; lævitas, asperitas. Sed animus non est singulas qualitates communes exacte enumerare, neque etiam jam citatas ulterius prosequi, nisi quatenus præsens occasio postulaverit.

Tonus partium in quo consistat.

E qualitatibus nonnullis communibus inter se complexis videtur *Tonus partium* resultare. Tonus enim partium proprie consistit in debito tenore sive mediocritate inter certas communes qualitates oppositas, ut inter densitatem & raritatem, &c. Quod si recessus fiat à justa mediocritate versus alterutrum extremorum, tonum plus minus vitiari necesse est. Duo ergo hic circa *Tonum* partium inquirenda videntur: primum, An in hoc affectu tonus partium sit ullo modo vitiatus: deinde an Toni vitia pertineant ad secundariam hujus morbi essentiam.

Quod ad primum attinet, non opus erit singulas partes toni sigillatim percurrere; satis erit eas saltem examinasse, quæ criminis suspectæ videntur.

1. Ergo

1. Ergo occurrit evidens *Laxitas Toni* in hoc affectu, differt autem hæc Laxitas tum ab infirma cohærentia partium, tùm à Paralytica resolutione. Nam infirma cohærentia sive labefactata tenacitas partis facile quidem sit *occasio* laxitatis, cum partem tendi vix ferat; at vero potest pars simul & laxa & satis esse tenax, ut in fidium chordis videre est, quæ remissæ laxantur, servata interim tenacitate suæ substantiæ. Et frequenter in dissectis observavimus partes ipsas laxas satis fuisse tenaces, idque aliquoties in hoc ipso morbo. Quare distincta qualitas est hæc laxitas à vitiata partis tenacitate. Neque etiam minus differt ab illa resolutione partium quæ occurrit in membris Paralyticis. Etenim Paralysis consistit primo in læsa constitutione animali: hæc vero laxitas radicatur in constitutione naturali. Neque enim hic adest vera Paralysis sive respectu motus, sive respectu sensus partium; neque etiam cerebrum primario hic affectum est, ut supra demonstravimus. Porro quod in hoc affectu adsit laxitas nimia partium primo affectarum adeo manifestum est, ut supervacaneum ducamus id ulterius comprobare. Nam & ipsis sensibus obvia occurrit, & propterea eam infra inter morbi signa retulimus. Sive enim sit pars essentiæ sive secus, modo in sensum manifeste occurrat, rationem signi induit respectu aliarum partium essentiæ à sensu remotiorum. Laxitas Toni.

II. In hoc affectu non tantum *laxitas* in Tono adest sed & *flaccida*, Qualitas autem Flaccidi- tas Toni

autem hæc aliquid amplius comprehendit ultra meram & simplicem laxitatem: connotat enim insuper inanitionem quamdam unde partes in se quasi subsidunt. Talis autem inanitio & subsidentia partium primo affectarum in hoc morbo sensu quoque dignoscuntur, ut ulteriori probatione non sit opus.

Mollities Toni.

III. *Mollities* quoque in Tono partium primo affectarum in hoc morbo nominari potest. Equidem contingit interdum ut mollities cum prædictis qualitatibus non coincidat; sed quid aliud includat aut excludat, ut in Tumore suppurato adest mollities, sed absque laxitate toni, inanitione aut subsidentia. In dato etenim casu mollities dependet maxime à terminationis modo & læsa tenacitate partium. Ast in hoc affectu fere coincidit cum laxitate ac flaccidita-te ante memoratis, ut non opus sit eam accuratius quam nomine tenus distinguere.

Lubricitas interna.

IV. Accidit insuper & aliud vitium in Tono partium primo hoc morbo affectarum, & est nimia *Lubricitas interna*. Miretur forte aliquis quid sibi velint illa verba, Lubricitas interna. Fatemur equidem nos defectu vocabulorum coactos esse hanc appellationem fingere. Enimvero cum in natura ejusmodi qualitas re vera existat quæ hactenus & à Philosophis & à Grammaticis neglecta nomine caruit, eam nos nobis libertatem sumpsimus, ut propter magnam affinitatem, quam cum superficiali corporum lubricitate habet, nomen idem cum distinctivo

ſtinctivo *interna* Epitheto adſcriberemus. Duplicem ergo in corporibus naturalibus, agnoſcimus lubricitatem; Alteram *externam* & ſuperficialem, quæ quidem conſiſtit in lævore & æqualitate ſuperficei, cujus ratione ſubjectum ejus alia corpora, quæ contingit facile, ſine multa attritione ac renitentia præterlabitur. Atque huic lubricitati contraria eſt aſperitas ſuperficialis. Sed hæ duæ qualitates huc non ſpectant, cum ſint organicæ, neque ullo modo ad Tonum partium pertineant. Altera lubricitas, cujus mentionem facere occœpimus, conſiſtit in *interno* illo, profundo, & ſimilari lævore & æqualitate corporis, cujus ratione tota ſubjecti ejus ſubſtantia facile alia corpora intro-lubeuntia ſine multa attritione ac renitentia præterlabuntur. Et huic quoque lubricitati datur interna aſperitas contraria. Quod autem detur talis lubricitas interna & ſimilaris, ut & aſperitas ei oppoſita innumeris fere inſtantiis facile monſtrari poteſt. Etenim mucilagines *pene* omnes lubricæ ſunt, idque non tantum quoad extimam ſuperficiem, ſed & intus & univerſam ſubſtantiam in qualibet earundem particula; adeo ut, ſecundum definitionem corporis ſimilaris, quælibet particula ratione hujus qualitatis ſit ſimilis toti, ideoque qualitas hæc interna eſt & ſimilaris, perque totam intimam ſubjecti ſubſtantiam diffuſa. Similiter aſperitas ejuſmodi ſimilaris & interna obſervari poteſt in fructibus immaturis, per totam nempe eorum ſubſtantiam carnemque internam protenſa. Adepta

Aſſeritur ejuſmodi lubricitas.

epta vero justa maturitate in locum jam dictæ asperitatis plerumque succedere solet lubricitas talis qualem modo descripsimus. Notandum hic venit, corpora hæc interne seu similariter lubrica, si forte illinantur superficiebus corporum alias asperis, lubricitatis quendam gradum, quamdiu adhærent, iis eatenus conciliare; similiter eadem intus assumta ut succos, lubricos, mucilaginem althææ, &c. lubricitatem quandam internis corporis meatibus communicare; quin non tantum meatibus cavitates internas spectantibus, sed plus minusve ipsi substantiæ partium corporis similari, quam ipsam quoque sanguis lubrico isto succo imprægnatus perluit.

Ea multiplex est.

Est autem hæc interna lubricitas multiplex. *Oleosa* seu *pinguis*, *Aquosa*, *Spirituosa*, *Salina*, & forte *terrestris*. *Oleosa* maxime conspicua est in pinguedine animalium, imprimis juniorum, & in oleis multis expressis, præsertim humidioribus & frigidioribus, ut & temperatis; quemadmodum cernere licet in oleis semin. papav. semin. pepon. 4. semin. frigid. maj. amygd. dulc. lini, & similium. *Aquosa* nonnihil reperitur in ipsa aqua simplici, licet ob fluiditatem minus emineat: item evidentissime observatur hæc lubricitas in mucilaginibus, &c. *Spirituosa* forte nunquam sola occurrit, atqui cum aquosa mixta frequentissime, ut in spermatibus omnium fere animalium, & fructibus maturis. *Salina* quoque simplex rara est, quamvis eam sali tartari inesse quis contendat. Salina autem mixta

ta frequens obvia est, ut in sapore & sale tartari cum aqueis & oleosis soluto. *Terrestris* (etiam mixta) vix observatu digna est, nisi quatenus concurrit ad aliqualem fluidorum inspissationem, ut in luto argillaceo & terra sullonum soluta. Verum nos hic maxime respicimus ad lubricitatem aquosam ut quæ sola in affectu, de quo agimus, criminis rea esse potest. Talem lubricitatem in hoc affectu occurrere.

Atque hæc in genere de lubricitate interna seu similari sufficiant. Inquirendum jam porro restat, utrum partes primo in hoc morbo affectæ interna seu similari lubricitate aquosa ultra debitam proportionem afficiantur. Et primo quidem videtur omnino verisimile adesse talem nimiam lubricitatem in partibus dictis, quod humiditas in iis nimium abundet, quæ lubricitati dictæ semper favet, sive cum calore sive cum frigore conjungatur. Norunt omnes spermata animaliū quanto magis humida sunt quam animalia ex iis producta, tanto quoque magis esse lubrica: similiter carnes animalium juniorum quam seniorum magis esse lubricas. Cum itaque adeo intime connectantur humiditas atque hujus generis lubricitas; cum etiam in partibus primo affectis manifestum sit nimiam adesse humiditatem, facile certe concedi potest in iisdem partibus lubricitatem una nimium abundare. Atque ad hoc non parum facit torpor spirituum in hisce partibus. Etenim spiritus ubi exaltantur nonnihil acrimoniæ & asperitatis contrahunt, ut cernere licet, ex collatione musti.

musti cum vino vinoso veteri aut cum spiritu vini vel aqua vitæ. Musti quippe spiritus vere dici possunt torpidi ac sopiti, si conferantur cum spiritibus vini veteris; & quanto sunt torpidiores, tanto quoque plus lubricitatis, tantoque minus acrimoniæ ac asperitatis in se continent. Unde patet torporem illum spirituum in partibus primo affectis favere etiam nimiæ lubricitati: Torpor enim spirituum in dictis partibus ejusdem fere gradus est cum torpore spirituum in musto. Et quia in partibus primo affectis spiritus deficiunt, patet hanc lubricitatem esse nimis aqueam lubricitatem. Porro laxitas, flaccíditas, & mollities, huc insuper conspirare videntur. Nam fructus immaturi ut duri sunt, ita dum matureſcunt, molliores evadunt, simulque lubricitatem internam acquirunt, similiter relaxantibus balneis laxantur partes, & una magis lubricæ evadunt. Item lubrica intus assumta, ut mucilago althææ, &c. non laxant modo partes, sed & meatus lubricant, unde in calculo cum successu propinantur. Præterea hæc partium primo affectarum lubricitas multum confirmari videtur eo quod in hisce post mortem dissectis manifesta lubricitas intus tactu deprehendatur, atque ex iis compressis mucilagineus quidam cruor intus eas oblinens digitis emungatur. Tacemus quod cutis externa ut plurimum in hoc affectu lubrica, raro aspera ad tactum occurrat. Notatu saltem dignum est, nimis lubrica medicamenta seu exterius admoveantur, seu interius assumantur plus damni quam emolu-

emolumenti in hoc affectu adferre solere. Atque ita absolvimus priorem quæstionem de modo, quo tonus partium in hoc affectu vitiatur. Sequitur altera ventilanda.

Eam esse partem essentiæ hujus morbi.

An *Tonus eo modo quo dictum fuit vitiatus sit pars essentiæ hujus morbi?*

Supponimus hic quod quicquid in corpore vitiatum reperitur, sit vel caussa morbifica, vel symptoma, vel morbus ipse; adeoque hic morbus vel simplex, vel compositus, vel compositi pars aliqua, eaque vel primaria vel secundaria.

Non caussam.

I. Dicimus tonum vitiatum supra propositum non esse proprie morbi caussam. Atque hoc vix indiget probatione. Tonus enim dictus est constitutio præter naturam in ipsis partibus radicata, qua ratione evidentissime à caussa morbifica proprie dicta distinguitur. Licet enim morbus alius alterius caussa esse possit, non tamen vel tunc, propie appellatur caussa morbifica, sed morbus primarius, alterque, quem producit, secundarius. At vero ubi uterque in unum morbum totalem coalescit, prior erit pars essentiæ primaria, posterior vero pars essentiæ secundaria.

Non symtoma.

II. Asserimus tonum partium descriptum non esse merum symptoma. Neque enim is sub excretis & retentis, neque sub actione læsa, neque sub qualitate aliqua mutata non lædente actionem comprehendi potest. I. Tonum vitiatum non contineri sub excretis & retentis, vel sub actione læsa, eadem opera probari potest hac ratione, quod illa

sym-

ſymptomatum genera ne conſtitutiones quidem corporis ſint; at dictus tonus vitiatus extra controverſiam eſt conſtitutio præter naturam mutata, quemadmodum ſupra liquido demonſtravimus. 2. Quod tonus dicto modo vitiatus non contineatur ſub qualitate mutata non lædente actionem adeo evidens eſt, ut probatione non egeat. Nam laxitas & flacciditas motum partium lædit, & lubricitas nimia debitæ irritationi vitalium ſpirituum impedimento eſt, ut poſtea patebit.

Objici poteſt quaſdam nudas qualitates mutatas, quæ in genere ſymptomatum continentur, poſſe etiam actiones lædere; ut color mutatus in cuticula ingratum aſpectum intuenti præbet, adeoque deformitatem & defectum debitæ pulcritudinis parit.

Reſpondemus, colorem mutatum cuticulæ quatenus pulcritudinem ejus (quę propria cuticulę actio eſt) vitiat, in rigore ſub notione morbi (in lata acceptitione) cadere. Verum cum actio hæc cuticulæ ſit tantum objectiva & ad extra, & cum is color mutatus nullam actionem internam iſtiuſque individui lædat, medici, qui in morbi definitione ad actiones internas ejuſdemque individui tantum reſpiciunt, eum è claſſe morborum ſolent excludere. Vel ſi contingat colorem partis vitiatum alicubi lædere actionem internam (quod in ſola cornea evenire compertū) omnino eum pro morbo cordatiores habent, licet forte ſecundario. Quare, ut in viam, à qua paululum

lulum digreſſi ſumus, redeamus, cum tonus vitiatus lædat, ut diximus, actiones internas, non pertinet proprie ad iſtam ſpeciem ſymptomatis, quæ qualitatis mutatæ nomine appellari ſolet.

III. Dicimus tonum hunc vitiatum, cum nec cauſſa ſit morbifica, nec ſymptoma, & tamen ſit quid præter naturam, neceſſario eſſe morbum ipſum. Porro idem confirmatur manifeſte ex ipſa morbi definitione. Eſt enim tonus hic vitiatus conſtitutio præter naturam, actionē internam lædens primo ſeu immediate; eſt ergo morbus. Cui enim conpetit definitio, ei & conpetit definitum. Quod ſit conſtitutio præter naturam, liquet ex eo quod ſolidis corporis partibus inhæreat. Quod idem quoque actionem internam lædat, ex eo patet, quod datis ſola laxitate, flacciditate, & lubricitate partium ultra modum, mox nulla alia accedente cauſſa debilitetur agilitas, vigorque corporis reſpectu motus, ſegnitieſque quædam in ſpirituum vitalium irritatione emergat. In agilitate res eſt manifeſta, cum corpora firma atque tenſa cæteris paribus agiliora ſint & è contra; in ſegnitie quoque irritationis idem evenire, poſtea ſuo loco videbimus, ſi quidem impræſentiarum nihil aliud allaboramus probare, quam tonum vitiatum in hoc affectu eſſe morbum.

IV. Dicimus Tonum hunc vitiatum in præſenti affectu non eſſe morbum quen-

in iisdem partibus conjunctum atque compositum, ut tota essentia morbi (de quo agimus) ex pluribus morbis (in se quidem si separatim considerentur, simplicibus) unitis dicatur conflari, adeoque tonum vitiatum esse tantum partem totius affectus. Atque hoc non alia indiget probatione, quam quod in iisdem plane partibus essentia prima superius proposita, dictusque tonus vitiatus comperiantur. Morbus enim compositus is proprie dicitur, qui ex pluribus simplicibus in eadem parte conjunctis conflatur.

V. Asserimus Tonum vitiatum non modo esse partem totius essentiæ, sed talem esse partem quæ nonnihil dependet à primaria essentia, adeoque esse partem essentiæ secundariæ.

Priusquam procedamus ad hujus propositionis probationem duo concessa præmittenda sunt.

Concedimus 1 Tonum dictum in aliis forte casibus ab aliis etiam causis & immediate vitiari posse, licet id non eveniat in præsenti morbo. Nam tonus partium insitus laxari potest primario in constitutione animali, idque subito, ut in Paralysi videre licet. Tensitas enim naturalis (& non tantum animalis) membri paralytici laxatur, & quidem subito citraque notabilem alicujus partis primariæ essentiæ prædictæ interventum. Similiter in Lipothymia laxitas omnibus partibus & languor subito contingit. In neutro casu possumus laxitatis causam referre ad frigidam ac humidam intemperiem constitutionis insitæ, cum illa

illa non adeo subito tam insigniter immutari possit. Quod illi (ut hoc obiter moneamus) considerent, qui qualitates hasce communes semper secundas & à solis primis dependentes esse volunt. Immo è contra in isto casu observent frigidam ac humidam intemperiem laxitatem eam subito introductam paullatim postea consequi. Porro quod ad flacciditatem partium attinet (quę subsidentiam respicit qua differt flaccciditas à laxitate, ut latius supra ostendimus) ea immediate produci potest à largis evacuationibus, ut fluxu alvi, sudoribus, similibusque supra modum profusis, nondum insigniter immutato temperamento, quamvis non difficeamur hoc facile & ut plurimum consequi. Tandem lubricitas interna manifeste à frigiditate separari potest, licet difficulter ab humiditate.

Concedimus 11 in præsenti morbo ne quedem omnimode Tonum vitiatum dependere ab essentia prima data, neque omni ex parte eidem subordinari. Nam l. qualitates toni hic vitiati nonnihil etiam debent cõmunibus causis, scil tum sibi, tum primæ essẽtiæ datæ cõmunibus. Nam humectantia nimium, una eademq; opera & humiditatem nimiam, & laxitatem producere apta nata sunt. Similiter ab evacuationibus nimiis inopia spirituum & simul flaccciditas emergunt. Item à nimium lubricis seu extra applicatis seu intro assumtis, aut utrisque, interna lubricitas simul cum intemperie humida intenditur. Tanta enim concatenatio est totius essentiæ

sentię hactenus propositæ cum communibus causis, ut vix quidquam intendat primam essentiam morbi, quin simul plus minus influat in tonum vitiatum.

His concessis, dicimus nihilominus in præsenti affectu maximam esse dependentiam toni vitiati ab essentia prima hujus morbi superius data; quo solo respectu, tonum vitiatũ ad essentiã secundariã hic retulimus. Si cui placeat contẽdere tonũ dictũ alio respectu clarius ad essentiam secundariam esse rejiciendum, quod putet primariam essentiam cujusvis morbi similarem necessario & semper fundari in solis primis qualitatibus; aut quod opinetur qualitates in quibus tonus consistit esse perpetuo secundas, easque primas solas (ut umbra solet solem) consequi; sciat is n s hic de industria quæstiones hasce declinasse, ne in enormem digressionem devolveremur.

Dependentia toni vitiati à prima hujus morbi essentia.

Restat igitur solum probandum magnam esse dependentiam toni vitiati à prima hujus morbi essentia; Idque per partes satagemus. Incipiemus à laxitate. Concessimus equidem laxitatem interdum subito posse produci, atque in eo casu humidam intemperiem sæpius eam consequi, nempe ubi laxitas primario dependet à vitio constitutionis aut animalis aut vitalis; in præsenti tamen affectu cum nec constitutio animalis nec vitalis primo afficiantur, necesse est eam ab aliis caussis promanare. Porro, ea quidem est conditio laxitatis ac tensitatis, ut subitis alterationibus obnoxiæ sint.

Fil

quendam ſimplicem, ſeorſim & per ſe exiſtentē, ſed ita eſſe cum eſſentia primaria Fila enim barbiti in momento fere tendi, iterumque laxari poſſunt; idem quoque fibris partium à nonnullis cauſſis accidit. Verum in hoc morbo laxitas gradatim ac ſenſim obrepit; oportet itaque hic eam a cauſa aliqua ſenſim ac gradatim aucta oriri, regi, ac modificari. Etſi ergo modo conceſſum fuerit laxitatem nonnihil debere communibus morbi cauſis; regitur tamen ac modificatur ejus augmentum potiſſimum a primaria hujus affectus eſſentia. Nam humectantia licet una laxent, vix tamen amplius laxant quam humectant, ſiquidem maxima ex parte humectando laxant. Cum itaque communes cauſæ hujus morbi potiſſimum mediante eſſentia morbi prima in Tonum influant, & cum neque conſtitutio animalis neque vitalis hic cauſæ vicem ſuſtineant, recte inferre licet laxitatem toni maxime dependere a prima eſſentia hujus morbi. Id ulterius confirmatur, quod in humida intemperie ex ſe inſit tendentia quædam corporis ad diffluendum, adeoque ab ea neceſſe eſt laxari fibras partium; præterea defectus ſpirituum eorundemque torpor vigorem partis minuendo ejus tonum remiſſiorē effeiunt. Concludamus ergo in hoc affectu laxitatem morboſam maxime dependere a primaria morbi eſſentia. Quod ad flaceiditatem attinet, quatenus comprehendit laxitatem, ab iiſdem cauſis oritur quibus laxitas: quatenus vero

ulterius

ulterius subsidentiam quandam & inanitionem includit, evidenter dependet a defectu & torpore spirituum insitorum; quorum copia & vigore auctis flaccescens membrum facile redditur turgidulum. Interim non negamus quin simul ista subsidentia ex parte dependeat ab extenuatione & atrophia partium.

Denique quomodo lubricitas à caussis hisce proveniat satis ex superius dictis manifestum redditur.

Ut tandem huic rei finem imponamus, observare licet in ulteriorem confirmationem eorum quę jam diximus, eam esse toni morbosi dependentiam ab essentia prima data, ut pari fere passu per totum morbi decursum simul intendantur ac remittantur. Etenim in principio Pueri hoc morbo laborantes, tantum tardius incedunt dum parum adhuc laxatus est partium tonus; in progressu vix pedibus aut segniter admodum se committunt; deinde sedentes solum aut gestati ludunt; postea vix erecti sedent; demum morbo jam ad summum gradum pertingente debile collum vix sustinet capitis onus, ut sæpe ante obitum cernere licet; quæ omnia ut essentiam morbi primariam gradatim auctam, ita & una toni vitia pari passu intensa attestantur. Atque ita hisce omnibus recte perpensis, referimus tonum vitiatum ad essentiam hujus morbi, non primariam sed secundariam, & per consequens concludimus, quod quidem erat in quæstione, tonum illum morbosum esse partem essentiæ hujus morbi secundariam.

CAP.

CAP. VIII.

Eſſentia ſecundaria hujus morbi in conſtitutione vitali.

SUpra propoſuimus illam partem eſſentiæ ſecundariæ hujus morbi quæ fundatur in conſtitutione naturali inſita, quatenus comprehendit qualitates communes: adhuc reſtant ejuſdem vitia organica, ut & continuitatis, ſi quæ talia reperiantur, examinanda. Verum cum nulla vitia continuitatis propria in hoc affectu occurrant, & cum vitia organica partim ab eſſentia ſupra data, partim à vitali conſtitutione læſa dependeant, videtur jam proximo loco accedendum ad ipſa vitia conſtitutionis vitalis.

Conſtitutionis vitalis diviſio.

Conſtitutio vitalis commode dirimitur in *originalem* ſeu illam quæ influit, & *participatam* ſeu illam quæ influxu producitur.

Prima ejus ſpecies hujuſque ſubjectum.

Conſtitutionis vitalis originalis ſubjectum ſunt ipſi ſpiritus in ſanguine arterioſo excitati. Dices cor potius videri eſſe ſubjectum hujus conſtitutionis. Atqui aliter ſe res habet. Ipſum enim cor per arterias coronarias recipit vitales ſpiritus cum ſanguine arterioſo è ſiniſtro ſuo ventriculo delatos: abſurdum autem eſt ſtatuere cordis parietes eſſe primum ſubjectum caloris vitalis, & interim illas eundem

eundem ab arteriis accipere. Dicendum ergo ſolidam ſubſtantiam cordis eſſe quidem primum præcipuumque ſubjectum ſuæ conſtitutionis naturalis & inſitæ; ſed cum ipſa recipiat vitales ſpiritus (ut dictum) non poteſt cenſeri ſubjectum primum conſtitutionis vitalis, quæ per iſtos ſpiritus ei imprimitur, diutiuſque non permanet quam cordis ſubſtantia ſpiritibus vitalibus perfunditur. Neque enim ullibi abſque ſpiritu vitali ſubſiſtere poteſt vita. Quare ſubſtantia cordis eatenus de vitali conſtitutione participat, quatenus alluitur ſpiritibus vitalibus; & per conſequens conſtitutio illa in cordis ſubſtantia non eſt originalis & influens, ſed participata ſeu ex influxu producta. Hoc etiam eo confirmatur, quod vitalis calor ſanguinis in cavitatibus ſeu ventriculis cordis (qui calor pars ſaltem eſt conſtitutionis vitalis, longe intenſior ac major eſt quam in ipſis parietibus cordis; ut quivis in vivis animalium diſſectionibus vulnerato cordis ventriculo immiſſoque mox digito obſervare poteſt. Longe enim auctiorem calorem ſentiet in ſanguine, quam in ipſa ventriculi ſubſtantia quomodocunque tractata. Adhæc conſtitutio vitalis quid tranſiens eſt, & in ipſo motu ac fieri conſiſtit; in ſpiritibus ergo mobilibus & evaneſcentibus (quales ſunt vitales in ſanguine arterioſo contenti) radicatur. Etenim abſciſſo aliquo membro in momento fere extinguitur vita, & per conſequens vitalis conſtitutio; naturalis autem (ut ſupra monuimus) aliquandiu (licet non ita

exaltata

exaltata quemadmodum ubi vitalis ſupereſt) poſt mortem permanet. Et tollitur quidem ſubito vita vitaliſque conſtitutio in prædicto caſu non à cauſſa aliqua poſitiva contraria, ſed à pura puta privatione cauſſæ conſervantis ac continentis. Hoc confirmatur evidentiſſime, quod ſubito intendatur, remittatur, & alteretur conſtitutio vitalis in omnibus partibus pro modulo conſtitutionis vitalis excitatæ in ventriculis cordis. Sic in Lypothymia, deficiente corde, ſubito vita partium languet; aſt ubi per ſpiritum aliquem cardiacum ventriculi cordis ſpiritibus aliquantum reſect. ſunt, mox vitalem conſtitutionem in omnibus partibus ſubito nonnihil reparari cernimus. In ſuppreſſione anhelitus ſubita mors ſequitur intercepto torrente vitalis ſanguinis à dextro ad ſiniſtrum ventriculum. In venæ ſectione aut alia aliqua ſanguinis nimia profuſione ex ſolo defectu ſpirituum vitalium Lipothymia contingit. Cum itaque conſtitutio vitalis in quibuſvis partibus ſolidis ſit tranſiens & fugitiva, & cum ea dependeat à proportione ſpirituum vitalium in eas è ventriculis cordis influentium, recte inferre licet eam in ſolidis partibus non eſſe originalem ſed participatam. Verum in ipſis ſpiritibus vitalibus, quorum miniſterio vitalis conſtitutio univerſis partibus impertitur, oportet it originalis: nullum enim aliud originale ejus ſubjectum in corpore invenire eſt.

Concedimus tamen ſolidam ſubſtantiam cordis per ſuam conſtitutionem naturalem (vitali præſertim irrigatam) eſſe adjuvantem cauſam excitationis vitalium ſpirituum in ſanguine ventriculis ſui concluſo, licet non ſit primum ſubjectum ejuſdem vitalis conſtitutionis, quemadmodum modo abunde probavimus. Atque hæc impræſentiarum in genere ſufficiant de utraque vitali conſtitutione, originali & participata, & ad probandum illam proprie ſpiritibus vitalibus, hanc ſolidis partibus ut immediatis ſubjectis inhærentiæ eſſe attribuendam. Examinanda jam reſtant tria vitiorum genera ad hanc conſtitutionem pertinentia: quorum duo priora ſpectant originalem, tertium ſpectat participatam. Primum vitium ad generationem vitalium ſpirituum; ſecundum ad eorum diſtributionem; tertium ad participationem conſtitutionis vitalis pertinet. De quibus ordine propoſito inquiremus.

CAP

Cap. IX.

Vitiata generatio ſpirituum vitalium in hoc morbo; & an id vitium ſit pars ejus eſſentiæ ſecundariæ?

Vitales ſpiritus primo excitantur ſeu generantur intra ventriculos cordis, nempe in ipſa maſſa ſanguinis, & proprie ſanguinem arterioſum à venoſo diſcriminant. Foventur autem & conſervantur jam geniti intra cavitates arteriarum, dum in habitum partium diſtribuuntur. Immo non tantum in arteriis foventur, verum & in illis rectè diſpoſitis forte nonnulli novi (quamvis minus efficaciter quam in corde ipſo) excitantur.

Hoc Præmonito.

Statuimus primo in ipſa ſubſtantia cordis nullum occurrere vitium generationi ſpirituum vitalium repugnans quod proprie pars ſit eſſentiæ vel ſecundariæ hujus morbi. Nam cor ipſum ex parte ſui rectè in hoc morbo ſuo officio fungitur, & ſi quid imperfectum accidat in generatione ſpirituum vitalium, non cordi proprie, ſed ineptitudini materiæ ad formam ſpirituum vitalium ſubeundam adſcribendum eſt. Quemadmodum nempe ingeſtus cibus, ſi crudior ſit quam par eſt, fruſtrare poteſt perfectionem coctionis

nis, sano alioqui existente ventriculo, ita & ineptus sanguis ad cordis ventriculos delatus actionem cordis ut ut ex se integram, quoad effectum tamen & opus imperfectam reddere potest; in quo casu vitium non cordi ipsi, at materiæ indispositioni jure meritoque attribuere solemus. Dicas, Febrim cùm hoc morbo aliquando complicari; & tum quidem ipsum cor inepte vitales spiritus generare. Verum febris illa morbus est diversi generis, nulloque modo aut totum aut pars essentiæ hujus.

II. Dicimus Arterias minores in partes primario affectas insertas, re ipsa nonnihil ex vicinia & contactu ab iis refrigerari & torpore affici, adeoque spiritus vitales in se contentos inepte conservare, unde eorum constitutio vitalis nonihil imperfecta redditur priusquàm in partes ipsas effunduntur. Atque hoc Arteriolarum vitium bono jure ad vitalium spirituum generationem adscribi videtur. Etsi enim non sit arteriarum munus spiritus vitales secundum primarium vocis sensum generare; eo ipso tamen quod jam genitos conservare teneantur, tali nimirum conservatione quæ continuatam quandam eorundem generationem quodammodo includit, earum vitia hoc respectu ad vitalium spirituum generationem recte referri possunt. Nam vitalis constitutio (ut supra ostendimus) affectio quædam transiens est, quæ, dum durat, est quodammodo in continuo fieri, quæque instar flammæ, ubi continua ejus reparatio suppressa est, subito extinguitur.

guitur. Propterea sunt Arteriæ quasi cor continuatum omnibus corporis partibus, quibus spiritus contentos effundunt, & quæcunque spirituum vitia ante eorum in habitum partium effusionem accidunt, cum ea necessario ad originalem constitutionem vitalem spectent, neque alioquin ad spirituum distributionem adscribi possint, ad ipsam eorundem generationem referenda sunt, generationem scilicet quasi continuatam in arteriis, qua continue à momentanea extinctione præservantur.

Porro hoc vitium vitalium spirituum est constitutio vitalis & originalis læsa, & cum sit quid præter naturam, actionem primo lædens, à quo emanat constitutio participata similiter læsa, cumque dependeat mere ab essentia primaria superius dicta & in iisdem partibus complicetur, pars erit essentiæ secundariæ hujus morbi.

III. Dicimus materiam vitalium spirituum, *viz.* sanguinem venosum suis spiritibus naturalibus imprægnatum in circuitu redeuntem à partibus primo affectis versus cor, nonihil ab iis ineptum reddi ad formam vitalis spiritus admittendam. Etenim necesse est sanguinem dum partes intemperie frigida, penuria ac torpore spirituum insitorum laborantes transit, afficiatur quoque inde aliquali frigiditate, torpore, & forte crassitie ac visciditate ultra debitum naturæ gradum. Nam quemadmodum sanguis suas qualitates partibus, quas permeat, nonnihil imprimit; ita vice versa partes ipsę

suas quoque sanguini transfluenti quantum possunt impertiunt. Sed & hic una concedendum est impressam hanc à partibus primo affectis indispositionem (præsertim ubi levior est) in reditu ad partes internas, priusquam cordis ventriculos attingat, à calore earum multum corrigi, & interdum omnino superari; vel si quid superfit istiusmodi contracti vitii, aboletur id fere semper in totum longitudine itineris ante sanguinis reditum ad sinistrum cordis ventriculum, dum per dextrum & parenchyma Pulmonum delabitur. Hoc etiã vel hinc confirmatur, quod si persisteret indispositio ista donec sanguis ad sinistrum ventriculum rediret, tota massa sanguinis arterioſi crudior & imperfectior foret; & cum ab Aorta ad omnes partes sanguis hic imperfectis spiritibus vitalibus refertus transmitteretur, omnes partes corporis plus minus afficeret, quod rarissime in hoc morbo observatum. Caput enim, multaque viscera, uteunque ex his aliqua solito majora reperiantur spiritu tamen vitali integro irrigari videntur. Sed etsi, ut diximus, levior sanguinis indispositio corrigatur ante reditum in dextrum ventriculum, ubi tamen gravius vitium ei inuritur, non plane ex omni parte superari potest, unde Pulmones in hoc morbo sæpius graviſſimis malis affliguntur: Enimvero, cum sanguis minus spirituosus adeoque minus permeabilis, frigidiorque ac crassior aut viscidior continue per Pulmones trajicitur, vix fieri potest, quin is tractu temporis debiliores Pulmonum

partes

partes plus minus inficiat & obstruat, unde deficilis respiratio, tussis pertinax, tumores duri, inflammationes, abscessus, phthisis, proveniunt; febres quoque tum erraticæ tum hecticæ hinc ortum suum ducere possunt. Verum cum labes ista à partibus primo affectis repente introducatur, credibile est eam (etsi pulmones sæpe ut diximus ab ea afficiantur) antequam sanguis adventriculum sinistrum pertingat plerumque superari. Atque hinc ratio reddi potest cur caput partesque vicinæ satis floridæ conspiciantur, quod nempe in illis neque naturalis neque vitalis constitutio sensibiliter læsa sit, cũ spiritus vitales perfecti in sinistro ventriculo geniti & ab eo distributi floridum istum colorem in facie excitent; cum è cõtra pulmones sæpe supradictis vitiis laborent nondum superato sanguinis vitio quod antequam dextrum ventriculum & venam arteriosam subeat, secum attulit.

Porro imperfecta hæc productio vitalium spirituum in dextro ventriculo cordis ob sanguinis venosi affluentis cruditatem pertinet omnino ad essentiam secundariam hujus morbi, ejusque pars est censenda. Nam est constitutio vitalis vitiata, à qua in Pulmonibus actiones læduntur, & dependet plane ac omnimodo ab essentia primaria data, neque interim subsistit in solida cordis substantia, ut eo nomine novi morbi nomen mereatur.

Hic obiter notamus, Practicos in curatione hujus affectus semper remediis suis admiscere illa quæ Pulmonibus prospiciant; nec præter rationem; cum è

modo dictis liqueat quanto in periculo continue id viscus versetur. Atque hæc sufficiant de vitiis in generatione vitalium spirituum; sequuntur jam vitia distributionis eorundem.

Cap. X.

Vitiata distributio vitalium spirituum in hoc affectu; & an sit pars essentiæ ejus secundariæ?

Vitia distributionis tria.

Vitiata hæc distributio videtur in tribus consistere; nempe in ejus *imminutione, tarditate, & inæqualitate. Distributio sanguinis & spirituum imminuta, ut & tarda,* in una aliqua parte (& forte in omnibus primo affectis) deprehendi potest; *inæqualitas* vero in una aliqua observari minime potest, cum ea resultet ex collatione variæ velocitatis ac tarditatis, magnitudinis ac parvitatis torrentis sanguinis respectu aliarum atque aliarum partium. *Imminutio* ac *tarditas distributionis*, cum ab iisdem fere caussis in præsenti morbo dependeant, simul tractari possunt, & cum istæ differentiæ simpliciores sint inæqualitate, earum tractatio merito premittenda videtur.

Circuitum sanguinis non esse difficilem in hoc morbo.

Primo autem concedendum est transitum sanguinis per partes primo affectas non admodum difficilem esse in hoc affectu. Licet enim frigida intemperies, inopia ac torpor spirituum, videantur difficulter admittere sanguinis transitum

per partes istis qualitatibus affectas; revera tamen aliæ qualitates conjunctæ, puta humiditas, laxitas, flaccidities, mollities ac interna lubricitas, tantum ad minimum possunt ad facilitandam quantum prædictæ ad impediendam ejus permeationem. Immo, si justa instituatur æstimatio, forte plus possunt. Verum id hic non asserimus, majorem solum transitus difficultatem pernegamus. Enimvero, si libeat componere corpora mollia cum duris, laxa cum strictis, humida cum siccis, lubrica cum asperis, facile in illis percipere licet circulationem sanguinis longe esse expeditiorem quam in istis. Atque hoc manifestum est in junioribus animalibus in quibus priores dominantur qualitates. In recens-natis licet cor tenellum sit, arteriæ minus firmæ, virtus pulsifica adhuc imbecillis, circuitus nihilominus sanguinis prompte & facile exercetur; quæ in senioribus non sine validiori pulsu nixuque cordis & arteriarum peragitur. Deinde, Hippocratis & Galeni sententia, puerorum corpora maxime sunt permeabilia, ob humiditatem scilicet, laxitatem & mollitiem. Præterea, si attendamus ad formationem pulli intra ovum, res reddetur oppido manifesta. Post paucos ab incubatione dies, cor pulli evidenter pulsare cernitur, sanguinisque sui circuitum inchoare. Quodsi tunc temporis consideremus fragilitatem ipsius cordis, & quam infirme ejus partes inter se cohæreant dum interim circulationem sanguinis suo modo peragit, necesse est concedamus

damus in ista informi massa humiditatem, mollitiem, interpanique lubricitatem motum istum facilitare. Objiciat forte aliquis in modo citatis casibus libertatem & promptitudinem circulationis sanguinis non tam ab humiditate, mollitie & lubricitate, quam à spirituum insitorum copia dependere. Nam in cachexia, morbo virgineo, hydrope, carnes satis molles sunt, humidæ & forte lubricæ, cum interim circuitus sanguinis satis difficilis sit. Respondemus, revera illa corpora quæ ex copia spirituum insitorum tenera & mollia redduntur, aptius cæteris paribus circulationem sanguinis admittere. Verum non simpliciter verum est, corpora magis spirituosa semper faciliorem circuitum sanguinis obtinere. In Piscibus enim sanguis longe facilius circuitum suum obit quam in animalibus terrestribus, ut liquet ex tenera & fragili constitutione eorum cordis & arteriarum; Ii tamen minori copia spirituum insitorum gaudent. At quia perpetuo in aquis degunt, humidiores ac magis lubricæ sunt eorum carnes. Unde evidentissime patet quanti momenti ad circuitum sanguinis facilitandum sit interna lubricitas & humiditas. Porro quod attinet ad cachexia & morbo virgineo laborantes concedimus quidem in iis circuitum esse difficilem; non tamen solum ob defectum spirituum insitorum, sed & ob pertinaces obstructiones in universo corpore existentes. Quare concludendum videtur non obstante frigida intemperie, inopia, ac

torpore

torpore ſpirituum, quæ ad difficultatem circuitus faciunt, modum tamen ei ab humiditate, mollitie ac lubricitate interna adeo imponi, ut ad juſtam, ſi non nimiam, facilitatem circulatio ſanguinis reducatur. Sed ſi tanti momenti ſint humiditas, interna lubricitas & mollities ad facilitandum ſanguinis circuitum, videtur certe diſtributio ejus per partes affectas celerior non tardior exſpectanda. Reſpondetur facilitatem tranſitus ſanguinis non opponi tarditati motus, aut parvitati ductus: Poteſt enim motus facilis ſimul tardus eſſe, & in ductu quoque parvo. Verum facilitas hic directe opponitur difficultati, ſive luctæ & labori qui in hoc caſu, ſi circuitus eſſet difficilis, accideret arteriæ, dum ſanguis permeat. Quod autem arteriæ in partes primo affectas parum laboris in ſui ſanguinis circuitu exequendo ſubeant, Paulo poſt demonſtrabitur; hic tantum aſſerimus facilitatem tranſitus ſanguinis non ſatis arguere vel motus celeritatem, vel ductus amplitudinem. Enimvero duæ potiſſimum cauſſæ concurrunt ad acceleran-

Duæ cauſſæ celeritatis circuitus ſanguinis.

dum decurſum ſanguinis per habitum partium. Altera eſt aptitudo partis recipientis, ſive ejus per quam ſanguis permeare debet, atque hæc cauſſa mere paſſiva eſt & ignavia; altera eſt impulſus tum cordis & arteriæ, tum ipſius ſanguinis arterioſi ſe expandere annitentis. Hæc cauſſa activa eſt ac vegeta; ceſſante quippe hoc impulſu, diſtributio ſanguinis mox omnino ceſſaverit, utcunque alias ſupponatur tranſitus facillimus.

Patet

Patet ergo impulsum hunc esse principem atque activam caussam tum celeritatis ac tarditatis, tum quantitatis distributionis sanguinis. Quapropter causse illę quę impulsum hunc quovis modo aut promovere aut retundere queunt, accuratius hic veniunt examinandæ: ab his enim dignoscere licebit utrum reipsa distributio sanguinis in partibus primo affectis sit parcior aut tardior debito.

Quatuor caussæ impellentes sanguinem.

Ad incitationem impulsus dicti hæ caussæ potissimum concurrunt. 1. *Copia & activitas vitalium spirituum in sanguine contentorum.* 2. *Cordis integra virtus.* 3. *Arteriarum robur, calor, & magnitudo debita.* 4. *Irritatio tum cordis tum arteriarum sive extrinsecus sive intrinsecus facta.* Has ordine percurremus, ut qualiter se in præsenti affectu habeant innotescat.

Prima.

1. Quod ad *copiam & activitatem vitalium spirituum* attinet, supra monstravimus in hoc morbo frequenter excitari spiritus vitales imperfectos in dextro ventriculo cordis: cum ergo sanguis hisce imperfectis spiritibus imbutus in pulmones impellendus sit, necesse est distributio illic ob defectum activitatis spirituum aliquantum ignavior ac parcior fit. Deinde cum sanguis vitalis, ut supra quoque monstravimus, in arteriis, quæ in partibus primo affectis terminantur, nonnihil refrigeretur, necesse est transitum ejus per dictas partes segniorem quoque esse & diminutiorem.

Secunda.

II. *Virtus cordis*, nisi forte per accidens ex complicatione alius morbi, vix solet in hoc morbo observari læsa.

III. *Arte-*

III. *Arterias* quod attinet, non pos- Tertia.
sumus defectum notabilem in earum *robore* accusare. Atqui in *calore* cum *magnitudine* earum manifeste occurrit vitium, & in *calore*. Arteriæ in partes primo affectas infertæ, necessario ab illarum intemperie frigida, simili quoque intemperie nonnihil afficiuntur. Nam cum intemperies partium primo affectarum activa sit diuque permanens, fieri non potest quin plus minus conformem qualitatem in partes adeo vicine connexas introducat. Etenim agentia naturalia corpora, quæque intra sphæram suæ activitatis posita maximeque illa quæ proxima sunt, assimilare satagunt. Si quis autem ambigat an ista arteriarum frigiditas retardare ac imminuere possit sanguinis per partes primo affectas decursum, consideret frigiditatem ex se inimicam esse cuivis motui. Frigoris quippe sua natura est sedare impetus, densare, ignaviam, somnolentiam, stuporem ac immobilitatem inferre, atque ubi intensior est, congelare ac mortificare partes. Necesse est ergo remoram injiciat torrenti sanguinis per partes ea qualitate affectas transeunti. Præterea observavimus sæpius in venæ sectione frigente membro sanguinem tardius ac parcius effluxisse; calefacto vero eo, aut frictione alioque motu aut medio excitato pulsu sanguinem liberalius egressum esse. Adhæc frigida admota manifeste conferunt ad sistendum sanguinem è quacunque parte præternaturaliter erumpentẽ, ut è contra calida eundem proritant.

Objici

Objici potest ab externo frigore sæpe intendi pulsum; ut ex contrectatione nivium videmus non modo pulsum, sed & calorem auctum in manibus tractantium.

Respondemus frigida per se semper morari transitum sanguinis per habitum partium; ex accidente vero si quæ tandem provocent (quod indicto casu contingit) arteriarum pulsus ad fortiores ictus instituendos, posse circuitum sanguinis eatenus intendere. Verum in præsenti morbo id nullatenus contingit. Quippe, (ut supra ostendimus) circuitus sanguinis in hoc affectu, utcunque imminuatur aut retardetur, manet satis facilis & expedita, neque inde ulla irritatio pulsus exsurgit, aut paullo post clarius videbimus. II. In magnitudine arteriarū defectus quidam notatur. Nam cum ex modo dictis liqueat arterias ad partes affectas delatas nonnihil frigidiores fieri debito, facile credere licet eas simul graciliores reddi; sic in membro quovis refrigerato cernimus venas & arterias solito esse exiliores; & negari non potest actuale frigus semper coarctare vasa. Sed & plus quam probabile est potentia'em quoque frigiditatem (qualis forte potius dicatur esse illa quæ est intemperiei insitæ) venas & arterias exiliores reddere. Sic videmus frigidas complexiones, tum frigidas & humidas, minores venas ac arterias obtinere quam calidas. Obesa corpora, fœminæ, pueri strictiora vasa quam macilenta, viri, adulti, possident. Præterea calor ipse expansiva qualitas est, ut ampliora,

pliora, frigus contractiva est, ut augustiora vasa præstet. Denique observavit à nobis aliquis in hoc ipso affectu se aliquoties deprehendisse, in dissectis post mortem, venas ac arterias ad partes quidem primo affectas tendentes graciliores debito; verum arterias carotides & venas jugulares improportionate ampliatas: & credibile est hoc perpetuo observari potuisse, si in mentem dissecantium hoc ipsum attentius contemplari venisset. Sed hoc non præfracte asserimus, aut ulteriori inquisitioni relinquimus. Interim cum ex dictis satis pateat circuitum sanguinis in partibus primo affecte esse imminutum, consentaneum quoquirationi est vasa quoque earum esse angustiora. Et cum sinister ventriculus cordis in Aortam tantam effundat quantitatem quæ omnibus partibus sufficiat, cumque tot partes primo affectæ diminute istum sanguinem absorbeant, credibile est per alias partes & nominatim per caput ac hepar liberalius solito eum distribui, adeoque vasa harum partium nonnihil dilatari & ampliari: Circa sanguinis in hoc affectu imminutum circuitum, hoc unicum experimentum addimus. Injecta ligatura sive in brachio, sive in cruribus puelli hoc morbo graviter afflicti, non ita expedite venæ ultra ligaturam intumuerunt, neque habitus partis sanguine satur ita turgidulus & coloratus illic apparuit ac in sanis solet fieri. Unde manifeste liquet inferendum esse sanguinis transitum per istas partes esse ignaviorem ac minorem debito. Ut

fluvius

fluvius aggere ſtipatus citius aut ſerius inundat ripâ pro varia velocitate ac magnitudine torrentis; ita hic quoq; contingit. Reditus ſanguinis per venas ad interiora vi ligaturæ liſtitur; quod ſi is rapidus eſſet, brevi repleret venas & habitum partium ultra ligaturam, quemadmodum alias in ſanis accidere videmus: cum autem ſegniter admodum ac tarde eas repleat in hoc affectu, ſtatuendum eſt omnino circulationem ſanguinis in iſtis partibus imminutam eſſe ac tardam, arteriaſque in dictas partes inſertas tum frigidiores tum gracilliores eſſe debito, ut ſatis ſuperque evicerimus arterias partium primario affectarum laborare vitio in deficiente magnitudine.

Quarta. IV. Quod tandem attinet ad *irritationem cordis & Arteriarum* (quæ forte præcipua cauſſa eſt multarum in pulſibus differentiarum) manifeſte hæc languida & inefficax in arteriis partium primo affectarum deprehenditur. Non animus eſt impræſentiarum diſcurſum inſtituere de natura, cauſſis, differentiis, & effectis irritationis in pulſibus: in genere tantum notamus eam eſſe poſſe vel naturalem, vel violentam; & utramque eſſe vel univerſalem vel particularem, ſimulque oriri poſſe vel ab extra vel ab intra; denique eſſe vel nimiam vel deficientem.

De irritatione pulſuum. In præſentis affectus tractatione ſatis erit ſi nonnulla delibemus de irritatione particulari arteriarum, eaque deinde ad præſens negotium accommodemus. Aſſerimus itaque 1 Arterias cum nixu quodam ſanguinem protrudere in ſubſtantiam

tiam ſeu habitum partium ; partes vero iſtum ſanguinem recipientes nonnihil contraniti ; propter hunc autem renixum arterias ad fortiores nixus ſeu pulſus inſtituendos proritari : tantique momenti eſſe iſtum renixum ad fortiorem reddendum pulſum, ut ubi renixus languidus eſt, vix fieri poſſit ut pulſus ſit fortis ; ubi vero renixus plusculum intenditur, ita tamen ut nixum arteriarum non plane vincat, pulſus robuſtior reddatur, modo aliunde non intervenerit impedimentum. Atque hoc variis inſtantiis illuſtrare poſſemus ; paucas annotabimus Hyberno tempore pulſus pleniores, duriores, robuſtiores, & conſtantiores ſunt quam æſtate. Certum autem eſt tum temporis partes corporis externas frigore conſtrictas firmiores & minus permeabiles eſſe, adeoque ſanguini in ſua circulatione earum ſubſtantiam permeare contendenti, fortius quam alias eas reniti ; unde arteriæ, ubi nihil aliud interveniens prohibet, neceſſe habent fortius ſe movere, fortiuſque ſanguinem impellere, ſi ſuo officio in circuitu ſanguinis perficiendo defuncturæ ſint. Hinc tum irritantur arteriæ iſtæ niſi plane ſupprimantur, aut aliunde ſopiantur, indeque paullatim fortiores ictus inſtituunt ; ſimulque à ſpirituoſo ſanguine coarctato & pro ampliore loco coluctante plusculum incaleſcunt, atque aliquantum ampliantur, & nonnunquam victa nonnihil renitentia ſanguinem in partes uberiore ac rapidiore torrente quã fortius effundunt. Hoc amplius confirmatur

adaucto. Licet enim initio mox frigeant manus, paullo post tamen plus satis incalescunt, simulque sanguine, quem intensus rubor indicat, suffunduntur. Nam ex contactu nivis primo partes densantur, ac fortius circuitui sanguinis resistunt, arteriæ quoque tunc in illis partibus contrahuntur: Atqui, nisi prævaleat frigus usque ad omnimodam spirituum in istis arteriis contentorum suppressionem, & ad ipsarum arteriarum stuporem, aut saltem torporem, arteriæ istæ paullatim irritantur, sanguisque cohibitus fortius luctatur pro majori loco, adeoque demum ex lucta utriusque incalescunt arteriæ simulque ampliantur, & aucto pulsu sanguinem copiosius in partem prius perfrigeratam extrudunt. E contra, æstate, ubi minor occurrit in sanguinis transitu renitentia, pulsus flaccidior, languidior, ac mollior contingit. Unde patet defectum debitæ irritationis à languida partium sanguinem ab arteriis recipientium renitentia profectum, pulsuum vigorem imminuere.

II. Idem adhuc evidentius cernitur in aucto pulsu à motu corporis; nam in motu violentiore omnes fere musculi tensi sunt, unde transitui sanguinis pluseulum renituntur; hinc arteriæ ad luctam irritantur, earum calor intenditur, adeoque pulsus frequentiores, fortiores ac pleniores eduntur.

III. Inflammatio alicujus partis ut manifeste irritat ejus arterias, ita & vehementiorem pulsationem & liberaliorem

sanguinis

ſanguinis affluxum in eadem promovet. Idem quoque de dolore dicendum.

IV. Huc etiam referenda contuſio alicujus partis. Nam pars contuſa difficilius affluentem ſanguinem admittit: hinc irritantur arteriæ, fortius pulſant, partemque contuſam iis contranitentem in tumorem attollunt. Plurimis aliis exemplis idem demonſtrari poſſet, niſi hæc abunde viderentur ſufficere.

Notandum porro eſt renixum partium in ſanguinis ab arteriis receptione factum, ſatis magnum eſſe poſſe, neque tamen ſatis efficaciter arterias irritare: in quo caſu retundit ac remittit potius impetum torrentis ſanguinis quam intendit. Etenim renixus iſte per ſe retundit aut impedit decurſum ſanguinis per ſubſtantiam partium; quatenus vero una proritat arterias ad fortiores ictus inſtituendos, per accidens torrentem ejuſdem promovet. Quare cogimur hic in aliam digreſſionem vel inviti delabi, diſtinguendo inter renixum partium qui irritat, & eum qui non, vel parum irritat. De prioti ſufficiant inſtantiæ modo allatæ; de poſteriori paucas in medium adducemus. De renixu contra pulſum.

Ergo, datur *renixus plane ſupprimens torrentem ſanguinis.* Talem efficit ligatura fortis, quæ plane intercipit pultum in partibus ultra conſiſtentibus, neque tamen arterias citra ſe irritat, quod omnem vim arteriæ ultra ligaturam ſuperet, actionemque ejus penitus abrumpat. Idem cernitur in partibus ex frigore demortuis, aliiſve de cauſſis ſphacelo corruptis; Species renixus. Prima.

ruptis, quin forte in cõtracturis & schirrhis nonnullisq; cicatricibus confirmatis,

Secunda. II. *Occurrit renixus comprimens arteria vel ex compressione arteriarum.* Hic accidit in ligatura mediocri. Item in compressione arteriæ à tumore in partibus vicinis aut proximis ut à tuberculo crudo; item in compressione à qualicunque externa causa. Multa quæ spectant ad morem decubitus dextri præsertim & sinistri huc referantur; sic in tumoribus dextrum latus spectantibus sinister decubitus sæpe ægrius toleratur ob compressionem partium sanarum à tumentibus, &c. Atque hæc compressio, ut ut circuitui sanguinis resistit, non tamen videtur magnopere arterias irritare, quod non minus vim ipsam pulsificam intercipiat quam ejusdem actionem minuat. Quamvis forte in pulmonibus nonnunquam irritet ob calorem eorum alias eminentē, non secus ac fieri solet in partibus dolentibus aut inflammatis.

Tertia. III. Datur *renixus ex parte reprimens circuitum sanguinis, sed absque compressione arteriarum, neque tamen in totum eum supprimens, neque admodum arteriam irritans.* Talis occurrit in obstructionibus ab humoribus lentis, frigidis, crassis, humidis, qui, etsi nonnihil liberum sanguinis transitum impedire possint, parum tamen arterias irritant, quod una torporem quendam, aut saltem frigidam intemperiem iis inferant, ut & sanguini in iis contento. Idem fere dicendum est de membris paralyticis, nisi quod in his evidentius torpor arteriis eorum introducatur, sanguinisque

nisque transitus minus in iis retardetur.

Porro asserimus II. Partes primo affectas non satis in hoc morbo irritare arterias, quibus sanguis per eas distribuitur. Nam etsi in hisce partibus, cum ob eatum soliditatem, tum ob frigiditatem, concedamus aliqualem renixum, debilis tamen admodum est is segnisque atque parum irritans. 1. Quod in iis partibus cum frigida conjungatur intemperies humida, quæ per se temperat ac lenit qualemcumque irritationem. 2. Quod adhit inopia insitorum spirituum, qui alioquin, ubi suppetunt, dare & fovere solent arteriarum sanguinisque in iis contenti vigorem. 3. Quod istæ partes torpeant, ut hac ratione ineptæ sint quæ arterias excitent. 4. Quod laxæ, flaccidæ, ac molles sint, adeoque magis pronæ sint facile recipere quod arteriæ immittunt, quam eas obnitendo lacessere. Atque arterias non fortiter & cum notabili robore sanguinem in hasce partes protrudere, vel hoc indicio manifesto est, quod eæ post influxum spirituum & sanguinis, permaneant adhuc laxæ, molles & flaccidæ, cum è contra pulsus fortes soleant partes alias flaccidas subito plenas, turgidulas ac rigidiusculas reddere. 5. Quod partes primo affectæ lubricitatem similarem possideant. Quemadmodum enim externa seu superficiaria lubricitas quodvis præterlabi finit sine attritione; ita quoque interna seu similaris lubricitas per meationem sanguinis facilitat, ut cum minima lucta ejus circuitus obeatur. Concludendum ergo est

Defectus irritationis in hoc morbo.

arteria-

arteriarum irritationem in hoc affectu esse deficientem, adeoque segniter admodum & inefficaciter excitari arterias ad pulsum validum efficiendum.

Tandem perpensis omnibus quæ adduximus de caussis activis & impellentibus sanguinem in circuitu suo, satis elucescit sanguinis circuitū in hoc affectu, licet satis facilis & expeditus sit, esse tamen diminutum & segnem per partes primo affectas, tum ob ignaviam sanguini, arteriosi in dictarum partium arteriis contenti, tum ob deficientem calorem atque exilitatem istarum arteriarum, tum denique ob earundem inefficacem irritationem. Atque hæc dicta sunto de duobus prioribus vitiis pertinentibus ad distributionem sanguinis in hoc affectu, diminutione scilicet ac tarditate distributionis; restat jam ut breviter expendamus inæqualitatem ejusdem.

Cap. XI.

Inæqualitas distributionis sanguinis in hoc affectu.

Inæqualitas hæc æstimanda est ex collatione magnitudinis ac velocitatis torrentis sanguinis facta in diversis partibus. Si enim circuitus sanguinis secundum geometricam proportionem sit vel æque diminutus & tardus, vel æque magnus & velox,

velox, æqualis ille ex ſcopo præſentis inquiſitionis reputandus eſt: E contra, ſi in aliis partibus minor & tardior, in aliis major & velocior ſit, inæqualis & improportionatus cenſendus eſt. Atque hic eſto ſtatus præſentis diſquiſitionis.

Ex ſupra-dictis liquet diſtributionem ſanguinis per partes primo affectas eſſe admodum parcam & tardam. Tantum ergo reſtat conſiderandum an per cæteras partes uberiore ac concitatiore motu feratur.

Inæqualitas diſtributionis probatur.

Aſſeruimus antea radicem hujus mali non fundari in ipſo corde, neque cor ipſum præſertim quo ad ſiniſtrum ſuum ventriculum ex ſe primo male affici. Credibile eſt ergo cor ipſum (niſi forte alius morbus vel conjungatur vel ſupervenit) recte ſuo officio defungi, ſufficientemque ſanguinis quantitatem pro una vice per quemlibet ictum in Aortam expellere. Cum ergo diminute (ut ſupra probatum eſt) ſanguis ad partes primo affectas ab Aorta diſpenſetur, neceſſe eſt ſuperflua portio ad alias partes non ſic affectas diſtribuatur. Nam alias Aorta non ſatis ſe expediret, nec ſanguinem à corde receptum ſatis exoneraret, ſed à copia ejus infarciretur, & opprimeretur, hæcque repletio levi occaſione ad ſiniſtrum uſque ventriculum cordis redundaret, febrimque accenderet: & agnoſcimus quidem ob hanc ipſam cauſſam, inter alias, febrim in hoc affectu frequenter, ac facile accendi. Verum cum illa febris ſit alius morbus conjunctus, & ab

hoc

hoc diversus ac separabilis, & cum, sæpius morbus hic sine febre occurrat; necessario concedendum est sanguinem, quo diminutius ad partes primo affectas distribuitur, eo copiosius ad partes cæteras affundi, saltem tunc, ubi febris abest. Nam cum ea quantitas sanguinis, ut modo diximus, in Aortam excludatur quæ toti corpori sufficiat, & cum tota ea in varias partes distribuenda sit; sequitur planissime, quo minus in unam partem, eo uberius in aliam dispensari.

Atque ita ex dictis percipere licet inæqualitatem distributionis sanguinis ex sola ejusdem diminutione in partibus primo affectis supra asserta (saltem probabiliter) inferri. Ex diminuto nempe ac tardo decursu sanguinis per partes primo affectas, affluxum ejusdem tum uberiorem & concitatiorem ad partes interiores non sic affectas recte colligi. Videamus jam an cætera phænomena huc spectantia huic ratiocinio respondeant.

1. Manifestum videtur ex supra-allatis, Caput, Cerebrum, Hepar, cæteraque viscera, non ista frigida intemperie; neque illo torpore ac inopia spirituum infitorum laborare, quibus premuntur partes primo affectę. Nam viscera & partes dictæ non recipiunt nervos suos à spinali medulla extra calvariam, ut in eadem conditione cum cæteris partibus involvantur. Porro istæ partes, quantum ex tactu judicare licet, moderate exterius saltem calent; & quantum ex visu, colore naturali ac florido conspiciuntur.

Præterea

Præterea pleniores ac habitiores occurrunt, quam partes primo affectæ.

Adhæc, Pueri hoc morbo afflicti moderate appetunt, ingesta alimenta non male coquunt, & circa caput sensus obtinent satis acutos; vident, audiunt, gustant, olfaciunt, non hebetius quam alii, & quoad ingenium, sæpe coætaneos superant, nisi aliunde quid obstet. Quæ omnia collecta satis superque arrestantur in istis partibus, aut non, aut saltem parum admodum dominari vel frigidam intemperiem, vel torporem & inopiam spirituum insitorum. His jam concessis necesse est liberaliorē sanguinis ad dictas partes distributionem una concedamus. Quod enim ad calorem attinet, supra monstravimus eum tum ampliare, tum proritare arterias ad fortiorem pulsationem edendam; & copiam spirituum supra quoque monuimus non modo fovere vim pulsificam arteriarum, vigoremque sanguinis in iis contenti conservare, sed & nonnihil concitare ac irritare utrumque, idque eo efficacius, quo minus spiritus insiti torpore affecti sunt.

2. Nisi istæ partes pleniore circuitu sanguinis irrigarentur, molliores, laxiores, ac flaccidiores quam reipsa sunt, occurrerent, non secus ac partes primo affectæ observantur. Etenim deficiente aut languente in quavis parte pulsu, pars statim redditur laxa ac flaccida, ut omnibus partibus in Lipothymia contingit. E contra, ubi pulsus fortis est, pars, ad quam pertinet, rigidiuscula ac turgi-

dula deprehenditur. Pulsus enim plenior, statim partes prius præ inanitione concidentes replet ac infarcit, ut soluta Lipothymia restitutoque pulsu, partes corporis prius languidæ laxæque, non modo bene coloratæ, sed & vegetæ ac turgidulæ redduntur. Cum ergo istæ partes, illa mollitie, laxitate & flacciditate non affectæ sint, dicendum est eas pleniori pulsu perfundi.

3. Ipsa magnitudo harum partium aucta præ partibus primo in hoc morbo affectis testatur eas liberalius alimento suo, nempe sanguine (qui commune ac ultimum partium alimentum censetur) irrigari. Etenim vix alias ulla ratio sufficiens fingi potest, cur, cum partes primo affectæ emaciatæ sint, hæ pleniusculę & habitiores (præsertim cerebrum & hepar) inveniantur. Idem & confirmat floridus harum partium color. Pulsu enim in quavis parte languente, nonnihil de nitore coloris in ista parte mox decedit.

4. Observatę sunt in hoc affectu Arteriæ Carotides, tum venæ jugulares quæ ad cerebrum & partes circa caput pertinent, ampliores; quæ autem vasa ad partes primo affectas feruntur, exiliore debito: unde liquido inferre licet sanguinem inæqualiter ad istas partes dispensari. Atque hic oramus atque obtestamur eos quibus occurrit opportunitas dissecandi corpora ex hoc morbo defuncta, ut accuratius velint explorare arteriæ in partes ossium protuberantes insertæ liberalius quoque & commodius effundant sanguinem in istas, quam in cæteras

cæteras ossium partes parcius nutritas, & annon istarum partium arteriæ paullo ampliores sint quam harum. Licet equidem hoc scrutinium, cum ob exilitatem dictarum arteriarum, tum earum insertionis obscuritatem, ut & ossium duritiem, difficillimum esse agnoscamus.

5. Juvantia & lædentia huc quoque spectant. Nam frictionibus motu & agitatione varia corporis, atque exercitiis, corroborantibus illitionibus, similibusque mediis quæ calorem in dextris membris cæterisque partibus primo affectis suscitant, pulsusque irritant ac quocunque modo augent, unde distributio sanguinis propius ad æqualitatem reducatur, manifeste juvantur pueri hoc morbo affecti; contrariis læduntur. Similiter medicamenta intus assumpta quæ distributionem sanguinis ad partes primo affectas promovent (qualia sunt moderate calida, benigna & naturæ familiaria, atque ita attenuantia, incidentia & deobstruentia, ut simul spiritus nequaquam dissipent sed foveant augeantque) conferunt multum ad hujus morbi curationem; contraria vero eundem aut gignunt aut genitum intendunt. Hisce omnibus consideratis, concludendum est distributionem sanguinis in hoc affectu esse irregularem & inæqualem. Atque ita tandem absolvimus disquisitionem de vitiis in distributione vitalis sanguinis; restant jam si quæ sint vitia constitutionis vitalis participatæ in hoc morbo examinanda.

CAP. XII.

Vitia conſtitutionis vitalis participatæ in hoc affectu.

DIximus ſupra originem conſtitutionis vitalis in ſanguine arterioſo, & præſertim in ſpirituoſa ejuſdem parte fundari: ſed quoniam partes ſolidæ quoque nonnihil de natura vitæ vere participant, iis vitam participatam, ſive conſtitutionem vitalem participatam merito adſcribimus.

In quibus conſiſtat conſtitutio vitæ participatæ.

Conſiſtit autem hæc *conſtitutio vitæ participatæ* in tribus.

1. *In Unione quadam ſanguinis arterioſi cum ſubſtantia ſolidarum partium quas permeat.*

2. *In calore vitali in iſtis partibus excitato.*

3. *In vivificatione & exaltatione conſtitutionis naturalis, omniumque facultatum naturalium iſtarum partium.*

Ejus prima pars.

I. Quod ad *Unionem illam ſanguinis arterioſi* attinet, jure ea prima pars vitæ participatæ reputanda eſt. Ideo enim partes ſolidæ de natura vitæ, ſive de conſtitutione vitali participare dicuntur, quod in ſe vitales ſpiritus contineant. Neque etenim abſque ſpiritu vitali conſiſtere poteſt vita. Quando ergo vitalis ſpiritus in & cum ſanguine arterioſo ad partes ſo-

lidas

lidas per arterias distribuiter, atque hæ partes istum sanguinem in suam substantiam imbibunt, sit, ut partes dictæ cum spiritibus vitalibus uniantur, sicque ex de natura vitæ participent.

Porro cum hæc unio non sit permanens sed transiens & in motu consistat, videtur ea in ipso congressu & mutuo amplexu spiritus insiti naturalis & influentis vitalis consistere. Conditiones autem quæ requiruntur ut hic congressus sit naturalis, sunt,

1. Ut sit utrinque moderatus, non impetuosus.

2. Ut sit utrinque validus, non languidus aut torpidus.

3. Ut sit utrinque amicus & gratus, non hostilis & infensus; ut sit tranquillus, non tumultuarius; nec nimis sit lubricus, neque nimis asper.

4. Ut non desinat in dissipationem omnimodam spirituum, quin magis in eorundem sedationem aptamque dispositionem pro reditu per venas. Forte plures istiusmodi conditiones addi possunt; sed cum ad hunc affectum maxima ex parte parum pertineant, ab ulteriori earum examine hic supersedemus. Notamus tantum in hoc affectu congressum mutuum & unionem vitalis & insitæ constitutionis per spiritus suos non contingere cum eo vigore, activitate, & oblectamento utrinque, quibus alias perfici solet in sanis. Atque hoc vix eget ulla probatione, cum ex supra-dictis pateat non tantum constitutionē insitam partiū primo affectarum laborare frigida &

humida intemperie, inopia & torpore ſpirituũ, ſed & ſanguinem ipſum vitalem nonnihil refrigerari ac torpidiorem reddi in extremitatibus arteriarum, priuſquam in partes primo-affectas effundatur; ut neceſſum ſit unionem illam eum ſufficienti neque vigore, neque voluptate peragi. Enimvero, ubi ſpiritus vitales vigoroſi cum ſpiritibus inſitis pariter vigoroſis congrediuntur, non ſine lucta quadam blanda & delectante uniuntur. Sive, ut exemplo hoc rem illuſtremus, ſpiritus inſiti, tanquam ſponſa, ſimul & alliciunt & quodammodo repellunt ſpiritus vitales qui hic quaſi ſponſi perſonam agunt: verum vitales ſpiritus calore ſuo ſtimulati & pulſuum vigore impulſi, audacius confidentius paullo inſitos invadunt, eorumque fines ac terminos penetrant ſubeuntque, dum interim ſpiritus inſiti (ut ut modeſte quaſi renitentes ac reluctantes) non ſine voluptate quadam eos excipiunt. Ipſa enim voluptas corporea in lucta quadam amatoria fundatur, principſque pars ipſius vitæ in iſtiuſmodi concertatione de unione mutua utriuſque ſpiritus conſiſtit. Eo enim fine tum generantur, tum diſtribuuntur vitales ſpiritus, ut demum pervadant conſtitutionem inſitam ſolidarum partium, eaſque ſua vitali virtute profunde imbuant: atqui cum non poſſint hi ita penetrare ſine nixu & renixu, neceſſario accidit, ut vigor iſtius luctæ ſive nixus & renixus major minorve ſit pro copia, calore, & activitate ſpirituum inter ſe concertantium. Quoniam igitur ſpiritus naturales,

tum

tum vitales in hoc affectu nonnihil frigidiores, pauciores, minusque activi sunt, necesse est eorum congressum & unionem ignaviorem, minusque debito esse delectantem. Ad hæc notandum est in hoc affectu (quod & supra latius ostendimus) transitum sanguinis arterioſi per partes primario affectas nimis facilem esse & lubricum, unde hac etiam ratione congressus iste & unio spirituum in istis partibus ignavior redditur, minusque jucundus. Præterea exhalationes calidæ, licet revera parcius ut plurimum in hoc affectu excitentur, excitatæ tamen, ob mollitiem, laxitatem, internamque lubricitatem partium primo affectarum citius quam par est exspirant, unde istas partes magis frigidas & flaccidas relinquunt.

II. Quod attinet ad *calorem vitalem solidis partibus communicatum* (qui secunda pars est constitutionis vitalis participatæ) partim dependet is ab unione prædicta sive incorporatione sanguinis arterioſi cum solidis partibus, partim vero consistit in motu seu nixu quodam expansivo (consimili isti nixui expansivo qui est ipsius sanguinis arterioſi) excitato in ipsis solidis partibus. Primum admodum manifestum est: necesse enim est sanguinem arterioſum calore vitali imprægnatum, ubi intra solidas partes recipitur, iis cum substantia suum calorem quoque impertire. Secundum etiam non difficulter evincitur. Etenim si calor vitalis in sanguine arterioſo radicatus consistat in motu quodam seu nixu

Secunda pars vitæ participatæ.

istius sanguinis uniformiter diffuso simulque nonnihil cohibito, fieri non potest quin consimilem nixum in solidis partibus, quas pervadit, excitet, cum caussæ naturales semper agant ad extremum suarum virium, & quantum fieri potest, per viam assimilationis. Si quis dubitet an essentia vitalis caloris consistat in tali nixu uniformi diffusivo, moderate cohibito & intrinsecus proveniente, sciat essentiam caloris in genere consistere in motu vel nixu rarefactivo nonnihil cohibito, ut clare demonstrat *Vice-Comes Verulamius* in novo suo Organo. Hoc autem dato, calor vitalis, cum in se veram naturam caloris contineat, necessario quoque erit talis, nixus rarefactivus nonnihil cohibitus. Verum ut hic calor in genere restringatur ad vitalem, plures conditiones addendæ sunt; quas tamen hic, ne in enormem digressionem provehamur, neque enumerare neque prosequi accuratius possumus. Interim ut materiam & modum habeamus inquirendi, utrum calor vitalis in hoc affectu sit secundum naturam modificatus; necne? visum est sequentes conditiones paucis proponere.

Conditiones caloris vitalis secundum naturam se habentis.

1. Quo calor vitalis dicatur naturalis seu secundum naturam, requiritur ut ejus origo sit interna, nempe in ipso sanguine arterioso, & per implantationem ac unionem ejusdem, ut superius dictum, ad partes solidas derivetur. Ut enim quid dicatur naturale, necesse est id sit ab interno principio: licet quoque quæcunque foveant, augent, vel excitant moderate

internum

internum principium, posse eo respectu hanc appellationem subire concedamus.

2. Requiritur, ut calor iste sit moderatus, non remissior aut intensior æquo, sed gradu apto partibus dispensatus.

3 Requiritur, ut sit quodammodo uniformis suique similis in partibus eadem constitutione similari gaudentibus, modo æque distent à fonte caloris, pariterque ab aliis caussis concurrentibus & vicinis affectæ sint. Verum in partibus longius à fonte caloris distantibus, pariter tamen aliis, quemadmodum dictum, affectis, ut uniformiter diminutior sit: similiter in partibus quoad constitutionem insitam frigidioribus, ut sit proportionaliter quoque remissior. Denique in partibus ab aliis caussis diversimode affectis, ita ut una multo intensius caleat quam altera, requiritur, ut inter partem calidiorem & frigidiorem calor paullatim seu gradatim, & quasi uniformiter remissior (si à parte calidiore versus frigidiorem palpando procedas) deprehendatur: & eo usque etiam uniformitas quædam vel in hac difformitate seu disparitate caloris, dummodo intra naturæ limites manserit, observari potest. Partes enim proximæ sive immediate se mutuo tangentes, non naturaliter se habent, ubi altera præ altera impense calet. Enimvero cum calor hic vitalis consistat in nixu rarefactivo nonnihil cohibito, fit is multum inæqualis & difformis si in partibus juxta se se positis, fiet, ut pars illa quæ violentius nititur, conetur una

se divellere ab ista quæ minus nititur, eritque adeo nixus iste præternaturalis dolore inferens. Consistit enim dolor in solutione continuitatis nondum facta, sed in fieri.

4 Ut hic calor non actuet aut promoveat actionem alius cujusvis qualitatis noxiæ conjunctæ. Quamvis enim in hoc casu noxia qualitas conjuncta præcipue peccet, potioremque partem cūlpæ mereatur, calor tamen in totum excusari non potest. Nam calor acris & malignus connotant alias qualitates conjunctas præter nudum calorem, ipse tamen calor vitalis quantenus intendit ac stimulat activitatem istarum qualitatum conjunctarum quo potentius lædant, ex parte reus est censendus eorundem noxiæ actionis.

5 Ex parte renixus requiritur quoque moderamen, tum ratione sedationis spirituum vitalium exuscitatorum, tum ratione permeationis sanguinis arteriosi tum ratione transpirationis exhalationum non sedatarum.

6 Est proportio quædam observanda inter nixum vitalis caloris expansivum & renixum eum coercentem. Non modo igitur excessus alterutrius in se vitium est, sed & si alter alteri sit improportionatus, eo ipso quoque vitiosus est censendus.

7 Rhythmus & ordo quidam tum in nixu tum in renixu est observabilis. Neque enim eodem continuo tenore procedunt, at micando quasi modo intenduntur, modo remittuntur: & intenduntur quidem maxime in diastole arteriarum, ubi sanguis suis cancellis

cellis anguſtioribus non contentus, de ampliore loco luctatur, adeoque arterias diſtendit donec competens ejus portio in habitum partium excidat & inibi digeratur, tunc quippe locus non adeo in anguſtias ſanguinem cogit, quin per tantillam temporis morulam ab impetuoſo ſuo motu ſuperſedeat. Atque inter cauſſas pulſationis hæc micatio ſanguinis arterioſi non infimæ eſt notæ. Ut hæc jam ad præſens negotium applicemus, è conditionibus modo propoſitis ſecunda ſola in præſenti affectu videtur manifeſte deſiderari. Calor enim vitalis non moderatus hic, ſed deficiens, remiſſiorque gradu naturali & juſto deprehenditur. Nam cum partes primo affectæ frigida ac humida intemperie, inopia ac torpore ſpirituum laborent, neceſſe eſt eas (ut ſupra quoque oſtendimus) calorem ſanguinis arterioſi prius quam in earum ſubſtantiam effunditur, nonnihil retundere; unde partes iſtæ remiſſiorem vitalis caloris gradum, quam iis debetur, participant. Atque hæc dixiſſe ſufficiat de calore vitali partibus communicato.

III. Quod ad ultimam partem vitæ participatæ attinet; quæ quidem dependet á duabus prioribus, quæque prima eſt intentione naturę, licet ultima executione, dicimus eam finem quodammodo eſſe tum conſtitutionis vitalis originalis, tum diſtributionis ejuſdem, ut & unionis prædictæ caloriſque partibus communicati. Non enim ſua ſola gratia excitantur in ſanguine arterioſo vitales ſpiritus, neque- Tertia pars.

ſuos

suo tantum commodo in partes distribuuntur, iisque uniuntur; ast maxime, ut vivificent & nobilitent insitam solidarum partium constitutionem earumque adeo facultates actuent & exaltent. Quemadmodum enim color per se tantum potentia est visibilis, nisi lumine irradietur; ita & facultates illæ insitæ attrahendi, retinendi, coquendi, excernendi, & formandi, quasi mortuæ sunt & mere potentiales, quando affluxu vitali non actuantur & vivificantur. Hoc clarissime videri est in lipothymia; nam deficiente vitali influxu, subito labascunt ac languent omnes istæ facultates.

Verum cum facultates omnes fundentur in aliqua constitutione, quæ earum & causa & subjectum est, quæri posset, in qua constitutione partium prædictæ facultates fundentur; Respondemus quoad potentialem naturam eas radicari in constitutione insita quam prius descripsimus; verum quoad actuatam & jam vivam factam essentiam dependere eas quoque ab influxu vitali. Atque in genere pronunciamus constitutionem vitalem participatam, quam prius in tribus consistere asseruimus, cum constitutione insita conjunctam, esse integram & adæquatam tum causam tum subjectum omnium istarum facultatum. Operosior autem digressio foret, quam nostrum institutum patitur, inquirere in specialem modum, quo istæ constituriones hanc vel illam facultatem in specie determinatam producant. Impræsentiarum tantum brevior percurremus vitia prædictarum

rum facultatum quæ in hoc affectu occurrunt.

I. Vis Formatrix hic errat ob inæqualem affusionem vitalis sanguinis in diversis partibus, de qua supra disseruimus. Hinc caput & Hepar in nimiam molem excrescunt; partes primo affectę extenuantur; ossium extrema protuberant, quin etiam aliquando, quę alias recta forent, ossa incurvantur.

II. Coctrix debilis est in hoc morbo in partibus primo affectis, ob insitam intemperiem frigidam, ob inopiam & torporem spirituum, ob lubricam unionem spirituum vitalium cum constitutione insita, & ob debilem calorem vitalem impressum.

3. Attractrix, retentrix, & expultrix videntur haud multum à naturali conditione recedere: attractrix tamen aliquanto segnior est debito; retentrix ob internam lubricitatem nonnihil infirmior; expultrix vero concitatior justo ob eandem caussam.

Atque ita tandem absolvimus examen vitiorum constitutionis vitalis in hoc affectu. *Constitutio animalis* jam proxime consideranda foret, nisi quod nonnulla vitia constitutionis insitę, nempe ejus vitia organica, quę nonnihil dependent à vitiis quibusdam recitatis constitutionis vitalis, hunc locum, ut sibi magis proprium, vindicarent.

CAP.

Cap. XIII.

Vitia Organica constitutionis insitæ in hoc affectu.

Quinque capita vitiorum organicorum in hoc morbo.

Cum vitia organica in hoc affectu pertineant ad constitutionem partium insitam, immediate quidem ea post vitia similaria ejusdem constitutionis justa methodo tractanda forent: verum, ut supra monuimus, quod eorum ratio & causa maxime à vitiis constitutionis vitalis modo notatis petenda sit, coacti fuimus præmittere horum tractatum, illorumque adeo considerationem in hunc locum reservare.

Vitia Organica in hoc morbo reducuntur commode ad hæc capita.

1. *Ad certarum partium extenuationem & maciem, videlicet partium primo affectarum.*

2. *Ad aliarum partium magnitudinem præter rationem auctam, ut cerebri, totius capitis, & Hepatis.*

3. *Ad protuberantias sive tumores certorum ossium, ut ossium ad carpos, ad talos, & extremitates costarum.*

4. *Ad certorum ossium incurvationem, ut frequentius accidit ossibus cubiti & tibiæ, nonnunquam ossibus femoris & humeri.*

5. *Ad pectoris acuminationem & angustiam.*

Atquæ hæc vitia infra inter symptomata

mata & ſigna hujus morbi memorantur, non quidem quod reipſa mera ſint ſymptomata, ſed quod in ſenſus incurrant, adeoque ſignorum vicem commode ſuppleant; tum ratione partium eſſentiæ morbi altius latentium, tum ratione cauſſarum ejus abditarum. Quicquid enim ipſum ſenſu percipitur, & præter ſe aliquid obſcuri menti repræſentat, rationem habet ſigni. Revera enim hæc vitia ſunt partes eſſentiæ ipſius morbi & quidem ſecundariæ, cum ſint vitioſæ conſtitutiones organorum actionem lædentes, & dependeant ab aliis partibus eſſentiæ morbi.

Communis cauſſa ſere omnium morbo recitatorum affectuum videtur eſſe *inæqualis & improportionata nutritio*, ſive ἀλογοϛεσία *partium*. Hæc autem in hoc morbo a duabus præſertim cauſſis dependet. Prior eſt diſpar & inæqualis conſtitutio inſita partium irritationaliter nutritorum. Diſparitas inter conſtitutiones inſitas partium primo affectarum, & capitis ac viſcerum ex ſupra-dictis nullo negotio colligi poteſt, ut non mereatur ulteriorem inculcationem. Poſterior cauſſa, quæ certe non minoris eſt momenti, eſt ipſa inæqualis diſtributio ſanguinis arterioſi ad partes, ut dictum, inæqualiter nutritas. Quod ſanguis in hoc affectu inæqualiter diſtribuatur ſupra monſtravimus: hic tantum inferimus inde ſequi neceſſario inæqualem nutritionē partium. Omnia animalia quo pleniore victu utuntur (niſi aliud interveniat impedimentum) eo habitiora & pinguiora cernuntur: ſubtracta vero debiti alimenti

Communis eorum cauſſa.

alimenti quantitate decrescunt, atque indies extenuantur. Cur non idem animalium partibus accidere judicemus? Sanguis, aut saltem aliquid in sanguine contentum pro ultimo alimento partium omnium agnoscitur. Ubi ergo id liberalius uni parti & alteri parcius dispensatur, minime certe mirum est, si una pars in justo majorem molem excrescat, dum altera interim extenuatur. Sed hæc in genere dixisse sufficiat. In specie,

1. Asserimus in hoc affectu partes primo affectas indies macrescere & emaciari. Neque exspectanda est hujus assertionis probatio, cum quotidiana experientia idem oculis attestetur. Verum cur ita extenuentur istæ partes, rationes exigamus.

Cur extenuentur partes in hoc affectu?

1. Ducitur à primaria essentia morbi, ab intemperie frigida nempe, à penuria & ignavia spirituum insitorum in prædictis partibus. Hinc enim attractrix, retentrix, & coctrix suo munere parum efficaciter in illis defunguntur.

2. Ducitur à laxitate, mollitie, & interna lubricitate earundem partium: hinc enim earum expultrix concitatior est debito, transpiratio nimis facilis ac dissipativa, circuitus sanguinis nimis lubricus, & excretrix debilis alimentum citius & facilius elabi patitur quam par est; atque hic idem pene hisce partibus accidit quod intestinis in Lienteria. Ut ut sit, impensæ excedunt vectigalia, & per consequens istæ partes extenuantur.

3. Ducitur ab inæquali distributione,

&

& quidem diminuta in partibus primo affectis, de qua satis superque supra dictum est.

II. Asserimus in hoc affectu magnitudinem capitis & præsertim cerebri, ut & magnitudinem Hepatis esse præter rationem auctam. Aliquando conjungitur Hydrocephalus, quem tamen nullam hujus morbi partem, sed diversi generis existimamus: licet nonnunquam hunc affectum posse occasionem ministrare hydrocephalo supervenienti concedamus. Porro vidimus aliquando, supervenienti huic morbo tabe, eaque diu continuata, faciem partesque circa caput nonnihil ante obitum fuisse extenuatas. Non tamen id evenisse à morbo de quo agimus; sed à Tabe huic accidente. Interim ut ratio reddatur magnitudinis supramodum auctæ in prædictis partibus, notemus.

1. Partes ad caput & viscera fere omnia pertinentes, nervos ab illa parte spinalis medullæ quæ intra calvam concluditur, recipere, & propterea non necesse esse hasce partes infelici conditioni partium primo affectarum subjici. Quare nulla ratio nos cogit asserere, hasce auctas partes vel intemperie frigida vel penuria & torpore spirituum affici, vel attractricem, retentricem, aut coctricem facultatem inde vitiatam obtinere; & per consequens, partes hæ eximuntur omnino à prima caussa modo recitata extenuationis in reliquis partibus primo affectis.

2. Notemus neque laxitatem, flacciditatem,

ditatem, mollitiem aut internam lubricitatem in dictis partibus supra modum auctis dominari, neque has qualitates (quemadmodum accidit partibus primo affectis) expultricem debito concitatiorem præstare, adeoque metuendum esse exportationem superare importationem, quod in partibus extenuatis contingere docuimus.

3. Notemus sanguinem in circuitu suo quo parcius ad partes primo affectas distribuitur, eo liberalius hasce auctas partes rigare. Hoc superius probavimus, neque pluribus hic in eam rem opus. His ergo notatis, evidens occurrit ratio, cur prædictæ partes irregulariter augeantur: Etenim si in iis attractrix, retentrix & coctrix non debilitentur secundum primam annotationem, & expultrix non sit justo concitatior sec. secundam, atque interim copiosius alimentum iis affundatur sec. tertiam, necesse est earum molem improportionate excrescere. Nam ubi abundat alimentum, neque suo officio desunt facultates, fieri non potest quin plenior partium nutritio subsequatur.

III. Asserimus, protuberantias five tumores ossium in carpis, talis, & extremitatibus costarum duplici nomine vitiatum organum efficere, ratione scilicet tum magnitudinis, tum figuræ. Partes utroque modo vitiatæ oculis obviæ sunt, ut frustra alia sit exspectanda probatio. Sed cur ossa ad istum modum, in istis locis, sic protuberant? Arduum certe est hujus rationem reddere, neque forte audemus

demus polliceri nos omni ex parte curiosis satisfacturos. Itaque loco responsionis sequentes observationes non plane inutiles in medium proferimus.

Protuberantium ossium in hoc affectu caussæ.

1. Ossa in multis cum Parenchymatis viscerum conveniunt. Nam 1 constant ex materia quadam similari à sanguine perlabente secreta, nec laboriosa assimilatione opus habente, & omnino facilem nutritionem, donec ad ἀκμὴν incrementi pervenerit, videntur admittere; nutriri porro usque dum ad extremam forte siccitatem per ætatem perducantur, & extenuationi notabili vix videntur esse obnoxia: ita & parenchymata similaria sunt per secretionem à sanguine sere solam congesta, & facile crescunt, rare raroque extenuantur. 2. Ossa simili sere modo, quo parenchymata, aluntur. Per arterias recipiunt sanguinem, per venas superfluam portionem amandant, ac loco vasorum tertii generis, quibus exterminantur excrementa, cavitatibus & cellulis donantur. Dubitet forte aliquis de arteriis ossium, cum tam dura & rigida pars inepta videatur intra quam pulsent arteriæ. Concedimus quidem minus apta esse ossa pro arteriarum pulsatione ob duritiem suam & rigiditatem, adeoque agnoscimus ea non aliquam notabilem arteriarum ramificationem in se admittere; verum si quis inde inferre velit nullas plane introadmitti arterias, næ is sibi nos omnino repugnantes habebit. Sunt etenim partes vivę, nutriuntur, crescunt, facultatibus attractrice, retentrice, coctrice ac secretrice gaudent.

Ossa non omnino Arteriis destituti.

gaudent. Deinde sanguinem ea intra se recipere quem non possunt nisi per arterias, patet ex eorum cruentatione sive fracta sint, sive rasa, aut alio quovis modo divisa in vivis adhuc animalibus. In junioribus animalibus, spongiosa ossium substantia ipsaque medulla, sanguine suffusa cernitur, & maxima pars cavitatum earum non tum medulla, quam sanguine referta est. In majoribus animalibus observare licet venas & arterias per membranas ipsam medullam involventes distributas: quæ omnia satis arguunt distributionem sanguinis ad ipsa ossa. Verum natura sagax (quæ in omnium partium formatione commodissime omnia concinnat) prospiciens hic arterias venasque propter duritiem ossium non posse convenienter longiori ramificatione per substantiam ossium disseminari, numerosas eas, at valde exiguas & plerumque capillares mediante periostio hinc inde sparsim in foraminula ossium vix conspicua ejaculatur. Immo in majorum animalium diu elixatis ossibus foraminula hæc insertionis vasorum satis facile in extima superficie detracto periostio cerni queunt. Sed hæc sufficiant dicta de venis arteriisque ossium, cum res hæc minus pertineat ad nostrum scopum. Quod ad vasa tertii generis attinet, quandoquidem ossium excrementa non plane inutilia erant futura, neque commode extra corpus exterminari potesant, natura, loco vasis tertii generis conceptacula quædam (cavitates nempe

pe, & cellulas) conſtruxit, in quæ oſſium excrementa, partem ſcilicet pinguem quę plane inutilis eſt ad oſſa nutrienda, reponeret. Aliqui quidem medullam eſſe proximum oſſium alimentum exiſtimant; ſed perperam, cum hæc, ut modo diximus, plane inepta ſit ad oſſium generationem & nutritionem. Oſſa enim non tantum duriſſima & ſolidiſſima atque ex ſe albioris coloris ſunt, ſed & conſtant ex ſubſtantia quadam terreſtri ſatis tenaciter cohærente; quæ conditiones longe abſunt à medulla. Hæc quippe in igne tota conflagrat & in flammas abit; oſſa vero, niſi ratione medullæ, viz flammam concipiunt, ſed in terreſtrem ſubſtantiam fere tota calcinantur. Deinde nulla arte ad illam firmitudinem, quam in oſſibus cernimus, perduci poteſt medulla. Porro medulla ad moderatum ignis calorem liqueſcit & diſſolvitur; oſſa vero ardentiſſimas ignis flammas ſine ulla eliquatione ſuſtinet. Præterea oſſa per diuturnam elixationem non in medullarem ſubſtantiam, ſed gelatinam quandam reſolvuntur. Tandem oſſa in pulverem comminui poſſunt: non ſic medulla. Certum ergo eſt medullam non eſſe oſſium alimentum, ſed quoddam eorum excrementum ſive potius ſecrementum, utile id quidem, ſuiſque adeo conceptaculis aſſervandum. Oſſa enim natura ſua alioquin ſicciora, frigidiora, & aſperiora, minus apta forent motui, niſi medullæ ſeu exudationibus ſeu exhalationibus humectarentur &

Medullam non eſſe oſſium alimentum.

Sed quoddam eorum excrementum ſeu ſecrementum.

Jubrica

lubrica redderentur, blandoque ejus calore foverentur. Hęc omnia uno fere sequenti experimento confirmantur. In animalibus junioribus æstimata magnitudine ossium, minus medullæ inest ossibus, plus sanguinis, quam in grandioribus. In fœtu nondum edito, vixdum vestigia medullæ à sanguine distinctæ observantur. Post partum vero indies medullaris substantia augetur, & minus minusque sanguine suffusa eique permista conspicitur: in ætate demum consistente ossa medulla fere pura & sincera, sanguine vix conspersa, replentur; in senectutis vero progressu credibile est ossa indies minus minusque irrigari sanguinis circuitu, & forte ipsam medullam tandem cessant fere nutritione ossium potius imminui quam augeri: quo respectu limitandum forte est experimentum propositum. 3. Ossa (exceptis forte dentibus) nervis carere & vel non, vel parum certe, neque aliter quam ratione perioștii aut fibrarum ejus in ossium foramina immissarum sentire creduntur. Similiter Parenchymata viscerum videntur potius per suas membranas & vasa quam per suam substantiam sensum illum, quem obtusum habent, obtinere

Ex his colligimus ossa in hoc affectu non multum aliter affici respectu nutritionis quam parenchymata viscerum. Supra monstravimus ossa non esse numeranda inter partes primo affectas, ut neque parenchymata dicta: hic modo ulterius asserimus ossium genus sive ossa universa simul sumpta non parcius forte

in

in hoc morbo ali, quam alias in ſanis ſolent. Si enim per modum congeſtioni ſimilem ut parenchymata, atque adeo facile alantur, ſi poſſideant arterias & venas ad ea deductas, & cellulas ac cavitates ad ſanguinem recipiendum, ſi non ſint in numero & conditione partium primo affectarum, neque nervos a ſpinali medulla recipiant; credibile omnino eſt non male ea poſſe alimentum ſuum recipere, retinere, ac coquere. Porro ſi conſulere libet experientiã, Pueri hoc morbo laborantes habita ratione ætatis ac magnitudinis partium aliis ſere ponderoſiores ſunt, ut aliquoties obſervavimus, quod certe ex parte adſcribendum videtur oſſium magnitudini. Quamvis hic magis frequentes, certas, & diligentius expenſas optemus obſervationes, quas alii occaſionem nacti ſibi poterunt ſubminiſtrare: interim opinamur oſſa in genere non admodum parce in hoc morbo nutriri. Dicat aliquis, quæ hactenus dicta ſunt ſpectare oſſium nutritionem in genere, non vero ex iis reddi rationem eorum protuberantiæ. Non id diſſimulamus; atqui, cum viria hæc oſſium dependeant ab eorum inæquali nutritione, ut ſupra probavimus, non inutile hic proponere duximus aliqualem rationem nutritionis eorum in genere. Pergimus jam propius ad prædictos oſſium tumores. Atque obſervamus.

II. Tumores iſtas oſſium non eſſe heterogenei generis reſpectu cæterarum partium ejuſdem oſſis, ſed eſſe partes plane ſimilares & cum exteris homogeneas, neque

neque ex parte constitutionis similaris, sed tantum ex parte magnitudinis & figuræ esse vitiosas.

Hinc sequitur III. Has protuberantias non ex materia ossium illegitima, aut per virtutem aliam, quam è qua & per quam alia ossa, generari.

IV. Tumores dicti producuntur ex inæquali nutritione ossium, puta ex liberaliore nutritione protuberantium partium & parciore cæterarum partium ejusdem ossis. Atque has tres ultimas observationes satis superque probavimus supra, ubi de partibus affectis actum.

V. Observamus Epiphyses ossium in talis & carpis, forte etiam in nonnullis aliis locis, molliores ac spongiosiores esse reliquis partibus eorundem ossium. Quin forte majores arterias & venas in se recipiunt, licet hoc nondum satis exploratum habeamus. Extremitates etiam costarum multo magis spongiosæ sunt & molles quam cæteræ earum partes. Unde inferre licet molliores istas & spongiosiores ossium partes posse facilius ac liberalius sanguinis circuitum admittere, adeoque plenius nutriri quam cæteras earum partes. Dicas, istarum partium mollitiem & spongiositatem non minus in pueris sanis quam hoc morbo afflictis reperiri. Concedimus id quidem, sed necesse interim est partes, quarum substantia compactior est, quæque difficilius sanguinis circuitum admittunt, leviori de caussa affici atque obstrui, quam eas partes quæ facilius recipiunt & apertiores sunt. Sanguis autem in hoc af-

fectu

ſectu frigidior, viſcidior, paulloque craſſior debito externis partibus affunditur; quæ ergo partes ineptiores ſunt ad ejus tranſitum admittendum, eæ prompte nonnihil obſtrui parciuſque nutriri poſſunt. Sed cur in ſanis dictæ partes molliores & ſpongioſiores non item liberalius nutriantur cum largius quoque vel in ſanis, ut dictum eſt, ſanguinem recipiant? Reſpondemus, quia in ſanitate ut iſtæ partes liberalius per arterias ſanguinem recipiunt, ita & liberalius per venas eundem remittunt, quod certe modum ponit nimio earum alioquin futuro incremento. In hoc affectu vero eædem partes, ob frigiditatem, craſſitiem, ac viſciditatem affuſi ſanguinis, parcius ſorte aut tardius eum remittunt quam iis affunditur, adeoque ex ſanguinis copia pluſculum excreſcunt iſtæ partes, dum cæteræ offium partes ob anguſtiam capacitatis arteriæ, ſorte vix ſatis copioſe ſanguine rigantur quo ex æquo debitoque nutriantur & creſcant. Atque hinc (ſaltem probabiliter) deducimus inæqualitatem nutritionis offium in hoc morbo. Conditio autem ſanguinis qua in hoc morbo apta eſt ullas partes per quas tranſit obſtruere, videtur peculiariter oſſeum genus reſpicere. Nam in viſceribus, exceptis pulmonibus, rarius ſanguis obſtructiones parit, ut neque in partibus primo affectis; cujus rei ſorte interna lubricitas eſt cauſa: Ut ut ſit, oſſeum genus; ſive quod incapax ſit internæ lubricitatis; ſive quod ſuccus nutritius in maſſa ſanguinea peculiariter aptus ſit

in partibus tantopere fixis concrescere; sive quod idem sit natura sua ossibus affinis; osseum (dicimus) genus obstructionibus facile in hoc affectu infestatur, indeque id inæqualiter nutriri contingit.

Vitiatorum Dentium in hoc affectu caussæ.

Dentitionis vitia huc etiam referenda sunt, cum ea quoque maxime dependere videntur ab hac inæquali ossium nutritione. Etenim si æqualiter dentes nutrirentur, uniformis essent substantiæ, neque frustulatim, ut frequenter hic accidit, exciderent. Partes quippe similares, quando æqualiter nutriuntur, non adeo interruptam atque inæqualem consistentiam acquirunt, ut facile frustulatim comminuantur. Quare cum dentes sint partes substantia similari naturaliter gaudentes, si æqualiter nutrirentur, uniformem & æqualem consistentiam haberent, & vel integri in alveolis suis persisterent vel integri exciderent; vixque alia ratio sufficiens videtur reddi posse, quamobrem ex una parte magis quam ex alia frangerentur & per frusta exciderent. Concedimus quidem friabilitatem huc multum conducere, sed & istam friabilitatem magna ex parte à prædicta inæquali nutritione dependere arbitramur. Solent enim alias dentes satis firmam, solidam, ac sibi cohærentem consistentiam obtinere; & certe ex materia satis viscida præsertim in hoc affectu videntur confici; siquidem hic massa sanguinis justo viscidior & crassior fere deprehenditur, ut facile non sit hanc friabilitatem dentium defectui visciditatis materiæ, at

at multo probabilius inæqualitati nutritionis adſcribere. Concludimus ergo, protuberantias oſſium, tum vitia dentium oriri ab inæquali nutritione iſtarum partium, proveniente à peculiari diſpoſitione ſanguinis obſtructiva, oſſa præſertim reſpiciente. Procedimus jam ad oſſium incurvationem in hoc morbo.

IV. In hoc affectu frequenter ſolent oſſa nonnihil incurvari, præſertim Tibiæ & Fibulæ; Item oſſa Cubiti, Ulna & Radius, aliquando oſſa Humeri & Femoris; Articuli etiam nonnulli inclinantur, nunc introrſum, nunc extrorſum: tota ſpina etiam ſæpe inflectitur, interdum in modum literæ S intorquetur, partim ſcilicet antrorſum, partim retrorſum, aut etiam partim dextrorſum, partim ſiniſtrorſum.

Curvitatis oſſium cauſſæ.

Curvitatem hanc oſſium aliqui adſcribunt eorum *flexibilitati*. Aiunt enim in tam tenella ætate oſſa ipſa ex ſe non eſſe adeo inflexilia rigidaque, ut provecta; itaque accedente hoc affectu forte plane flexilia gradu aliquo reddi: Invehuntur ergo in nutrices, quæ infantes pueroſque præmature ſuis pedibus committunt, exiſtimantes eorum oſſa ab onere ſuſtentati corporis flecti. Alii ſimiliter imperitum nutricum faſciandi modum accuſant.

Verum his ex omni parte aſſentiri non poſſumus. Et primo quidem oſſa in Pueris hoc modo affectis magis flexilia minuſque friabilia & rigida eſſe quam in aliis plane negamus. Probavimus enim ſupra oſſa in hoc affectu quoad ſimilarem naturam non differre ab oſſibus ſanorum.

rum. Præterea, nemo hactenus fide dignus teſtatus eſt ſe vidiſſe in hoc morbo oſſa flexilia. Adhæc, ſi daremus in tam tenella ætate oſſa forte nonnihil inflecti poſſe, non tamen manerent flexa ut plumbum aut cera, ſed ſuæ libertati permiſſa redirent denuo ad propriam partium poſitionem. Non enim conſtant ex materia ductili, adeoque vel inter flectendum frangerentur, vel certe niterentur repetere priſtinum partium ſitum. Quod ad nutricum vel imperitiam vel incuriam attinet, licet eam ex omni parte non excuſemus, vix tamen merito hanc curvitatem iis imputare poſſumus. Videmus pauperum liberos minori cura tractari, pedibuſque citius committi quam generoſorum; illorum tamen liberi rarius hoc vitio infeſtantur quam horum. Præterea nutrices novimus, quæ, ſumma etiam adhibita diligentia, tum in faſciandis, tum in alio quovis modo tractandis infantulis quos lactarent, non tamen potuere hanc oſſium curvitatem præcavere. Nobis igitur alia hujus curvitatis cauſſa exquirenda eſt.

Comparemus ergo oſſa, quibus curvitas accidere ſolet, *columnæ*; & certe ſatis appoſite, eum, ſi erigantur, columnam quodammodo referant; atque inde demonſtrationem rem hanc explicantem & illuſtrantem deducimus. Eſto ergo columna ex tribus lapidibus A B C ſibi invicem impoſitis exſtructa. Supponimus talem quæ ab omni latere perpendiculariter ſit erecta, ejuſdemque altitudinis. Si ergo à dextro latere immiſeris

cuneum

cuneum inter lapides A B per lineam F D necessario caput columnæ, supremus nempe lapis A inclinabitur versus D angulumque in D conficiet, & altitudo columnæ à dextris erit elatior quam à sinistris. Similiter si alterum impuleris cuneum per G E inter lapides B C amplius adhuc incurvabitur columna, fietque angulus in E. Stat ergo jam columna inclinata ad lævam in hunc modũ A B C F G D E. Quo autem ex pluribus lapidibus columna exstruitur, si inter quosvis duos, ut dictum, cuneus ab uno



solo latere interponatur, non columnæ speciem, at portionem arcus referet; quemadmodum in seq. figura A B fit conspicuum.



Ut ergo hæc ad præſens negotium accommodemus; ſi oſſa prædicta ab altero latere plenius alantur, adeoque ſecundum iſtud latus magis excreſcant quam ſecundum oppoſitum; neceſſe ſit illa eo ipſo incurvari. Nam hic eodem modo ſe habet plenior iſtius lateris nutritio ad incurvandum os, quo ſe habet cuneus ita immiſſus ad columnam incurvandam, niſi quod cuneus certis tantum locis lateris columnæ infigatur, plenior vero nutritio lateris oſſis fiat ex æquo fere ſecundum totam ejus longitudinem. Etenim alimentum intra os aſſumtum qua parte liberalius admittitur, ea id ſuffarciendo, ad modum cunei columnæ intruſi in longitudinem auctiorem protendit; qua parte vero parcius, ea id minus protendit, unde neceſſario accidit os incurvari verſus latus quod pari paſſu cum altero non elongatur. Porro ſi productio unius lateris columnæ non accidat tantum

tum in uno vel duobus locis ejusdem, aut in pluribus, ut in tertia figura, tum eo propius ejus inclinatio accedit ad figuram portionis circuli, seu arcus. At vero si secundum totam longitudinem dictum latus ex æquo ultra oppositum produceretur, ex æquo certe versus oppositum latus inflecteretur, atque exacte segmentum circuli seu arcus sine ullis angulis effingeret; simili plane modo incurvatio ossium in hoc affectu oritur; à majore nempe elongatione lateris plenius nutriti: cum enim illa elongatio per intus assumtum alimentum secundum omnes partes istius lateris aeidat, non exspectanda est angulosa figura, aut ex multis rectis angulatim connexis composita, aut arcuata, in qua convexa pars constituitur à latere plenius, concava à latere parcius nutrito. Quando autem contingit unam aliquam partem lateris convexi ossis curvi magis improportionate nutriri respectu lateris oppositi, ex illa certe parte os convexum magis quam ex cæteris prominebit. Atque ita ex inæqualitate nutritionis, rationem curvitatis ossium in hoc affectu reddidimus. Addamus, coronidis loco, in hujus rei ulteriorem confirmationem observationem a curatione hujus curvitatis ossium deductam. Solent medicastræ nostræ fricare quotidie latera ossium cava, non convexa, illamque frictionem multum conducere aiunt ad curationem, hanc vero potius nocere. Certum autem est frictionem liberalius evocare succum in massa sanguinea nutritium ad partem sic fricatam. Quando

ergo partem cavam, quæ parcius debito alitur, fricueris, non mirum est si id profuerit, cum eo alimentum copiosius alliciatur, & calor partis quoque excitetur atque augeatur; neque è contra mirum si ossis pars gibba frictione amplius lædatur, cum ea alimentum ad partem, prius nimi opere nutritam, plenius attrahatur. Præterea unguenta quæ possunt fovere calorem insitum & nutritias facultates roborare, post frictionem, parti ossis cavæ adhibita magis conveniunt, parti vero convexæ ligatura strictior & reprimens nonnihil ossis prominentiam utiliter solet adaptari: ea nempe potissimum ratione, quod a tali ligatura arteriæ capillares, quæ ad illud ossis latus sanguinem seu succum nutritium advehunt, constringantur, ejusque adeo nutritio imminuatur. Atque hæc sufficiant dicta de ossium, in hoc affectu, curvitate.

Inflectionis Articulorum caussæ.

Huic insuper Titulo adjicimus opportune *Inflexionem articulorum nonnullarum*, ut genuum & talorum, quæ frequenter in hoc affectu occurrit, modo introrsum, modo extrorsum facta. Atque hæc inflexio quoque videtur interdum non incommode referri ad inæqualitem nutritionis. Etenim si ex inæquali nutritione accidat, ut alterum latus Tibiæ, puta exterius, præ altero ita elongetur ut nonnihil attollat exteriorem sinum epiphyseos ossis Tibiæ præ sinu interiore, necesse est articulum genu exterius flecti; & è contra elato sinu interiore & depresso exteriore, eundem articulum, interius flecti: Ut per sequentes figuras redditur conspicuum.

In



In articulo genu A B, ſinus appendicis tibiæ B, in priori figurarum pari, elatior eſt ſinu altero ejuſdem appendicis; unde os femoris C interius nutat, & ſimiliter os tibiæ D; articulus vero

A B exterius non nihil truditur. In secundo vero figurarum pari omnia contraria obſervantur. Articulus A B interius flectitur, quod ſinus appendicis tibiæ A elatior ſit ſinu ejuſdem B; unde neceſſario attollit interius & inferius capitulum oſſis femoris, adeoque os femoris exterius, articulus vero interius inclinatur.

Idem in Talis quoque, neenon in vertebris dorſi contingere poteſt, ſi oſſa articulo connexa ab altero latere altiora ſint quam ex adverſo. In Talis verò, cum illic præter os Tibiæ Fibula quoque per Articulum committatur, fieri poteſt, ut Fibula inferius longior extet Tibia, ſicque articulum Tali exterius flectat; & è contra ſi accidat Tibiam Fibula eſſe longiorem, interius flecti articulum neceſſe eſt. Quamvis hic concedamus non adeo frequenter ejuſmodi inæqualitatem longitudinis inter Tibiam & Fibulam evenire.

Inflexionis ſpinæ cauſſæ.

Porro exiſtimamus præternaturalem ſpinæ inflexionem rarius accidere ab inæquali altitudine laterum oſſium vertebrarum, frequentius vero ab alia cauſſa, quam jam proſequemur. Diximus ſupra totam ſpinam in hoc affectu eſſe debiliorem, pueroſque hoc malo afflictos non modo ad motum, ſed & ad inſiſtendum pedibus, immo & ad erigendam ſpinam ob debilitatem eſſe ineptiores. Quando ergo corpus ipſis quomodocunque erigitur, quærunt ſuſtentaculum, ſpinamque modo antrorſum, modo retrorſum, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum

niſtrorſum flecti permittunt, quo onus corporis rebus ambientibus pro levamine incumbat. Hinc ſæpe fit, ut ligamenta vertebrarum ſpinæ à parte lateris frequentius prominentis laxentur atque elongentur, à parte vero oppoſita contrahantur; ita ut tractu temporis ſecundum rectam & naturalem lineam ſpina erigi non poſſit. Atque hinc ſane nutricum negligentiam & incuriam minime excuſare poſſumus, quod non ſatis attente obſervent in quam potius partem infantes, quos lactant, corpus ſuum inclinare proni ſint, quo in oppoſitam id ſedulo dirigere ſatagant. Similiter etiam quando nutrices præmature infantes debiliores & ſine debita cura pedibus committunt, fieri poteſt, ut, cum motus tonicus muſculorum ſit impar ſuſtentationi corporis, pueri ſive genu ſive talum ad alteutrum latus inflecti ſinant; unde ligamenta articuli ab externa aut interna ejuſdem parte extenduntur, & per conſequens ligamenta lateris adverſi contrahuntur, quo neceſſe eſt articulum aut extrorſum aut introrſum flecti. Quamvis ergo ſupra negavimus curvitatem oſſium hinc dependere, concedimus tamen articulorum diſtortionem in infantibus debilioribus ex tali nutricum incuria accidere poſſe. Concedimus inſuper ex conſtanti inepta faſciatione oſſa, quæ alias forent recta, poſſe incurvari: hanc tamen cauſſam rariorem in præſenti affectu eſſe exiſtimamus, ut ſuſius ſupra declaravimus. Procedimus jam ad anguſtiam & acuminationem pectoris in hoc morbo. Nota-

Incuria nutricum notatur.

Angustiæ & Acuminationis Pectoris causſæ.

Notamus hanc angustiam & acuminationem pectoris non statim ab initio morbi apparere, sed confirmato demum morbo superveniie paullatimque intendi, donec diu perseverante morbo evidens ea & insignis observetur, quando pectus antrorsum refert carinam navis, aut pectus Gallinæ. Hujus vitiatæ figuræ pectoris, quod alias secundum naturam latum, non à lateribus coarctatum, & antrorsum planum non acuminatum foret, ad 4 causſas reducimus; quarum tres priores minus efficacię huc contribuere, ultimam vero totum fere negotium absolvere agnoscimus. Cum tamen tres priores aliquid saltem huc contribuant, eas quoque hic ordine recitabimus.

Sit 1. In hoc affectu os sterni ex *aucta mole Hepatis* nonnihil elevatur sive antrorsum truditur, unde nonnulla portio dictæ vitiatæ figuræ constituitur; atque insuper ex eadem elevatione ossis sterni nonnulla contractio costarum versus spinam insertur, qua altera pars confit istius vitiosæ figuræ. Hanc contractionem costarum sic demonstramus. Sit circulus

A B C D. Supponitur is confici ex materia flexili, sed non æque extensibili, verbi gratia, ex osse Ceti. Quando ergo distenduntur latera A C ab invicē, ita ut linea distantię inter A C producatur

tur in longum, pari tunc fere passu latera D B istius circuli necessario contrahuntur, & eadem opera linea lateralis distantię à D ad B abbreviatur; ex circulo enim formatur figura ovalis, ut qui experiri velit deprehendet. Mutabitur quippe figura in eum fere modum quem sequens figura

exprimit; in qua linea distantiæ inter A & Ç protensa repręsentatur, simulque linea D B abbreviata apparet, circulusque redditur ovalis; neque pluribus ad hoc probandum est opus Sciendum jam est costarum paria oppositа, præsertim superiora quę maxime pectus efformant, mediante, à parte postica, spina; à parte anteriore, sterno, rudem quandam figuram circularem exprimere. Neque quenquã movere debet, quod non constituant circulũ exactum & perfectũ, cum demonstratio nostra non minus procedat in circulari figura ut ut imperfecta quam in perfectissima, modo ejus partes undiq; cohęreant, non sint intortę, sint flexiles, sed non facile extensiles; quę conditiones abunde conspiciuntur in figura modo proposita costarum.

Si ergo in hoc affecturos sterni antrorsę nonnihil eleveretur, quo cedat hepatis moli, necesse est costas propius ad se invicem versus spinam adduci, quo necesse est pectus lateraliter coarctetur, minuta ejus latitudine.

Dicat

Object. *Dicat aliquis; si elevatio ossis sterni conduceret ad coarctandam latitudinem Pectoris, id potissimum præstaret circa costas inferiores, quandoquidem ab inferiore parte elevatio hæc sterni incipiat; verum contra evenire compertum est, si quidem coarctatio pectoris maxime accidit circa alias & mox infra claviculas; inferiores vero costæ videntur ad latera expandi potius quam constringi.*

Resp. Respondemus inferiores 5 costas non articulari cum sterno, neque integrum circulum conficere, adeoque nullo modo spectare ad demonstrationem propositam: illarum vero distentionem aliunde, nempe a plenitudine hypochondriorum, de qua proxime dicemus, dependere. Notandum quoque est nos hanc non præcipuam caussam vitiatę figurę statuere, immo tantillum solummodo eo conferre existimamus. Atque sic procedimus ad secundam caussam hujus figurę vitiatę, quam etiam leviusculam censemus.

Sit II Caussa: In hoc affectu hypochondria plena & tensa perpetuo fere deprehenduntur, nimirum tum ob magnitudinem Hepatis, tum quod omnia fere viscera in infimo ventre contenta satis ampla sint, quandoquidem in iis, ut ante dictum, prima essentia hujus morbi non radicatur; tum denique quod intestina & ventriculus plus minus fere flatibus distendantur. Jam vero ex illa *plenitudine & tensitate hypochondriorum* colligere æquum est costas in hoc affectu pluscullum quam par est, deorsum trahi. Nam maxima tensitas hic observatur in musculis

eulis obliquis qui hypochondriis ſubtenduntur: Muſculus autem oblique deſcendens habet capita dentata 6 7 8 & 9 coſtis affixa, & pars quoque tendinis lati obliqui aſſcendentis implantatur cartilaginibus coſtæ 9 10 & 11. Quare cum dicti muſculi perpetuo fere nimium tenſi in hoc affectu deprehendantur, neceſſe eſt eos nonnihil deorſum trahere dictas coſtas; & cum omnes coſtæ firmiter inter ſe per muſculos intercoſtales connectantur, accidit omnes coſtas in hoc affectu pluſculum deorſum trahi. Jam vero quod coſtę ita detractę nonnihil coaretent pectus ex ſeq. figura demonſtratur.

Sit

Fig. 1



Fig. 3



Fig. 2

Sit A B ſpina dorſi. C D E coſtæ. F oſ ſterni: ſupponimus hic quod cuilibet in ſceleto cernere datum eſt, Coſtas non committi cum ſpina ſecundum angulum rectum, ſed angulum infra coſtam eſſe paullo recto minorem, adeo ut ſi coſta paullulum ſurſum trahatur, ejus articulatio

articulatio cum ſpina propius ad lineam rectam accedat. Supponimus etiam articulationem coſtæ ipſius ſive cum ſpina, ſive cum ſterno manere ſtabilem, & non trahi ſurſum (ne quis erret) ſed medias tantum coſtæ partes inter articulationes dictas. Dicimus ergo è contra, quo magis deorſum trahitur coſta, eo acutiorem cum ſpina angulum conficere. Quapropter pars coſtæ maxime à ſpina dorſi A B diſtans (nempe D in ſingulis figuris) ut deorſum tracta acutiorem angulum cum ſpina conſtituit, ita quoque minus quam antea à ſpina diſtat, & latitudinem Pectoris anguſtiorem reddit. Nam latera pectoris tunc quidem latiſſima erunt, quando coſtæ maxime eriguntur ſuper ſpinam ſecundum lineam rectam. Nam pars coſtæ D tunc maxime diſtabit à ſpina dorſi A B, quemadmodum cernere licet, ſi conferantur 1 & 2 figura cum tertia, ſiquidem in figura 3 exprimitur coſta erecta ad angulum rectum cum ſpina, & tunc pars coſtæ D evidenter magis diſtat à ſpina dorſi A B, quam in prima vel ſecunda figura; ut intuenti fit conſpicuum: in 2 vero figura coſta cum ſpina ſupponitur valde acutum angulum conficere, & pro proportione pars ejus D (ut videtis) minus diſtat a ſpina, quam eadem pars D in prima figura, cujus angulus minus acutus ſupponitur: & adhuc multo minus ea diſtat a ſpina quam in tertia figura, cujus articulatio ad angulum rectum erigitur. Inferimus ergo coſtas, quando ſurſu trahuntur, ampliare nonnihil pectus lateraliter; quando vero

deorſum

deorſum trahuntur, idem a lateribus coarctare.

Hoc ipſum ulterius confirmatur eo, quod quo tempore pectus dilatatur, nempe ubi inſpiratio peragitur, coſtæ nonnihil ſurſum, vi muſculorum intercoſtalium, trahuntur; & quo tempore pectus contrahitur, nempe ubi exſpiratio peragitur, eædem coſtæ nonnihil deorſum, ope muſculorum obliquorum abdominis, retrahuntur. Id quivis in ſe ipſo aliove experiri poteſt præſertim in magnis inſpirationibus & exſpirationibus. Percipiet enim liquido in magna inſpiratione coſtas ſimul elevari nonnihil ſurſum, unaque ampliare latitudinem pectoris; in magna vero exſpiratione coſtas nonnihil deorſum, eademque opera introrſum contrahi. Neutrum horum contingere poſſet, niſi talis eſſet coſtarum poſitus, ut eæ inferius reſpectu ſpinæ conficerent acutum angulum, magniſque depreſſæ adhuc acutiorem, & per conſequens magis tunc coarctarent pectus; & è contra ſurſum motæ propius accederent ad angulum rectum cum ſpina, adeoque pectoris latera extenderent. Concludimus ergo ex plenitudine & tenſitate hypocondriorum in hoc affectu coſtas nonnihil deorſum trahi, pectuſque à lateribus coarctare; licet concedamus, ut ſupra monuimus, cauſſam hanc non tantum valere, ut ei magnam hujus vitii partem tribuamus.

Sit IIIa Cauſſa hujus vitatæ figuræ pectoris *Adnaſcentia lateralis Pulmonum cum Pleura*, quæ in hoc morbo confirmato

to frequentissime observatur. Certe ejusmodi Adnascentia nonnihil restringit atque impedit motum costarum extrorsum, quo pectus lateraliter dilataretur. Etenim si costa, ubi adnascentia subest, conaretur se à centro Pectoris fortius dimovere, periculum esset ne quodammodo aut adnascentes Pulmones, aut Pleuram ipsam a costis dolorifice divelleret. Quamvis autem Pulmones ad ingressum aeris facilem secundum omnes sui partes extensionem admittant, ubi tamen ii subsidunt vel crassis humoribus infarciuntur (quod frequentissime in hoc casu accidit) vix notabilem distentionem sine aut vasis alicujus, aut membranæ, aut ipsius parenchymatis soluta unitate admittunt. Porro dum consideramus pulmones in sanis rarissime Pleuræ lateraliter adnecti; & non nisi in istis partibus Thoracis quæ minus erant motui ad considerabilem distantiam exponendæ, nempe dorso, sterno, mediastino, & forte media parte diaphragmatis, &c. existimamus sane id non inconsulto a provida natura factum, ne scilicet eorum connexiones vel dilatationi Pectoris officerent, vel pulmones ipsos istiusmodi calamitatibus obnoxios redderent. Ut ut sit, concipi vix potest quin præternaturalis illa Pulmonum coalescentia cum pleura plus minus impediat ac remoretur veram costarum expansionem versus latera, adeoque aliquantillum saltem conducat ad angustiam Pectoris promovendam.

Sit

Sit IV. Cauſſa figuræ vitiatæ prædictæ, *Inæqualis nutritio certarum partium coſtarum præ aliis.* Atque hanc quidem cauſſam longe cæteris tribus efficaciorem ad hoc ſymptoma efficiendum dicimus. Quod ut monſtremus, Aſſerimus 1 ſeptem coſtas ſuperiores potiſſimum, ſi non ſolas, hanc Pectoris figurã conſtituere Etenim quinque inferiores, ut non immediate cum ſterno committuntur, ita neq; poſſunt ſternũ ullo modo acuminare aut elevare. Adde quod, cum in integros circulos (ut ſupra monuimus) non coëant, facile mobilis eſt earum figura ut plus minùs cedat plenitudini hypochondriorum. At vero ſeptem coſtę ſuperiores per ſuas cartilagines cum oſſibus ſterni articulantur, unde fieri forte poteſt, eas oſſa ſterni, quæ tangunt, nonnihil antrorſum attollere, quando quinque inferiores contactu ſterni privatę id efficere non poſſint. 2 Aſſerimus coſtas omnes & non tantum 5 inferiores, ſed & 7 ſuperiores inæqualem in hoc affectu nutritionẽ admittere, atque ab una parte uberius ali, adeoq; ab illa magis ſec longitudinem produci quam ab altera parcius nutrita: & quidẽ amplius creſcere ea parte qua cũ ſterni cartilaginibus committuntur, altera vero parte nempe verſus capitulum, quo ſinubus dorſi conjunguntur, minus tardiuſq; elongari. Ratio eſt, quod anterior pars cujuſvis coſtę mollior ac ſpongioſior ſit quam ejuſdem poſterior, ut in quovis animali cuilibet licitum eſt experiri. Cum ergo (ut è ſupradictis eluceſcit) partes oſſium molliores in hoc affectu facilius recipiant alimentum & augeantur quam

partes

partes duriores & ſolidiores, ſequitur anteriores coſtarum partes quod molliores ſint, magis produci, quam poſteriores. 3. Aſſerimus in corpore figura circulari ſive annulari donato (qualem paria coſtarum 7 ſuperiorum ſibi mutuo oppoſitarum mediante oſſe ſterni & ſpina dorſi, ſuo modo, licet imperfecte, conſtituunt) ſi una pars annuli magis prolongetur quam altera, neceſſe eſt vel reliquas partes ejuſdem huic incremento cedere, vel illam partem ſic inæqualiter elongatam aut exterius prominere, vel interius plicari, aut ſurſum vel deorſum, & ſive aliquo, ſive pluribus ex his modis inflecti. Hoc ſic demonſtramus. Sit circulus vel annulus A B. Supponatur partes ejus anteriores ab A ad B elongari, reliquę autem ejuſdem partes nempe C D E manere in ſitu ſuo neque omnino cedere elongationi dictæ. His poſitis, neceſſe eſt portionem circuli elongatam, nempe A B vel antrorſum elevari, vel introrſum deprimi, vel ſurſum vel deorſum vel varie inflecti. Nam aliás diſtantia inter terminos chordę F non ſufficeret ad iſtā portionem circuli jam elongatam immutata arcus figura continendam. Etenim termini



iſti

isti tantum sufficiebant prius; elongato ergo arcu, & non elongata chorda, aut terminis & extremitatibus chordæ, fieri non potest, ut arcus eodem modo se habeat ad chordam quo prius. Mutabitur itaque facta flexione vel antrorsum, vel introrsum, vel surſum, vel deorsum, vel pluribus ex his modis, quemadmodum per figuras seqq. videre licet. Prima figura Arcum extrorsum prominentem refert, 2 introrsum, 3 varie inflexum sive plicatum & intortum. Et prima quidem

admodum appositè figuram Pectoris in hoc affectu vitiatam exprimit. Etenim monuimus supra costas cum sterno & spina articulatas annulum quendam imperfectum cōficere, easdemque in hoc affectu celerius ali & elongari à parte anteriori quā a posteriori; ergo quoad

quoad causſa plane & plene [illegible] hoc ſymptoma cum figura illa [illegible] deſcripta. Præterea, ſuppoſuimus partes circuli C D E manere ſtabiles, id quoque in hoc affectu accommodari poteſt lateralibus & poſterioribus partibus coſtarum. Cum enim hæ multo minus creſcant quam anteriores, certe plane ſtabiles æſtimandæ ſunt, habito reſpectu ad merum exceſſum incrementi in parte anteriori. Niſi quis forte dicat, vel coſtarum latera & partes poſteriores expandendo ſe, vel articulos earum, quibus cum vertebris dorſi committuntur, permittendo coſtas retrorſum flecti, augmentationi iſti excedenti nonnihil cedere. Verum neutrum horum vere dici poteſt. 1 Enim laterales & poſteriores partes cujuſvis coſtæ ut duriores ac ſolidiores, ita & rigidiores ac robuſtiores ſunt anterioribus; abſurdum autem eſt exiſtimare partes debiliores ejuſdem coſtæ poſſe flectere partes firmiores, aut partes minus flexiles cedere partibus facilius flexilibus. Quare partes laterales & poſteriores coſtarum non ita flecti poſſunt ut cedant partibus earundem anterioribus elongatis. 2 Quod ad articulos coſtarum attinet, certe ille articulus, quo committitur coſta cum vertebra thoracis, nullo modo pati poteſt coſtam ſic retrorſum flecti, quo cedat ejuſdem elongationi; idque non tantum quod is duplex ſit, nempe cum ſinu vertebræ & proceſſu ejuſdem tranſverſo, adeoque ad motum retrorſum permittendum maxime ineptus; ſed vel maxime quod decuplo fortior ſit anteriore articulo,

quoad [illegible]m plane & plene convenit hoc [illegible]na cum figura illa primo descripta. Præterea, suppoſuimus partes circuli CDE manere ſtabiles; id quoque in hoc affectu accommodari poteſt lateralibus & poſterioribus partibus coſtarum. Cum enim hæ multo minus creſcant quam anteriores, certe plane ſtabiles æſtimandæ ſunt, habito reſpectu ad merum exceſſum incrementi in parte anteriori. Niſi quis forte dicat, vel coſtarum latera & partes poſteriores expandendo ſe, vel articulos earum, quibus cum vertebris dorſi committuntur, permittendo coſtas retrorſum flecti, augmentationi iſti excedenti nonnihil cedere. Verum neutrum horum vere dici poteſt. 1 Enim laterales & poſteriores partes cujuſvis coſtæ ut duriores ac ſolidiores, ita & rigidiores ac robuſtiores ſunt anterioribus; abſurdum autem eſt exiſtimare partes debiliores ejuſdem coſtæ poſſe flectere partes firmiores, aut partes minus flexiles cedere partibus facilius flexilibus. Quare partes laterales & poſteriores coſtarum non ita flecti poſſunt ut cedant partibus earundem anterioribus elongatis. 2 Quod ad articulos coſtarum attinet, certe ille articulus, quo committitur coſta cum vertebra thoracis, nullo modo pati poteſt coſtam ſic retrorſum flecti, quo cedat ejuſdem elongationi; idque non tantum quod is duplex ſit, nempe cum ſinu vertebræ & proceſſu ejuſdem tranſverſo, adeoque ad motum retrorſum permittendum maxime ineptus; ſed vel maxime quod de-

cuplo

cuplo fortior sit anteriore articulo, quo eadem costa cum osse sterni committitur. Articulus autem decuplo robustior, simulque duplex, atque ita duplex formatus, ut plane ineptus redditus sit ad motum retrorsum patiendum, nullo modo concipi potest retrorsum cedere, ne articulus decuplo debilior nonnihil antrorsum flecteretur. Concludendum ergo partes costarũ laterales & posteriores non cedere earum inæquali productioni quæ anterius contingit, & per consequens eas hoc respectu stabiles esse habendas, adeoque necesse esse illam elongationem inæqualem immutare earum figuram à parte anteriore, idque eas illic inflectendo aut sursum vel deorsum, aut introrsum, vel extrorsum seu antrorsum, aut multifariam.

Non potest fieri hic flexio Costarum sursum vel deorsũ, quod costæ *propter suam latitudinem* ineptę *sint* ut alterutro modo inflectantur. Adde quod musculis intercostalibus firmiter in suo situ cohibeantur ut sine vi istis musculis illata vix aut ne vix quidem possint vel sursum vel deorsum incurvari.

Quod illa elongatio non possit vel certe ægerrime possit plicare costam introrsum, eo evincitur, quod magnitudo Hepatis tali motui repugnet. Probavimus enim supra ejus magnitudinem nonnihil attollere os sterni extrorsum seu antrorsum. Deinde ipsa figura costę circularis plicationi introrsũ faciendę evidenter obluctatur. Deniq; quod istaelongatio non multifariam flectat costas, etiam hinc inferri potest, quod ejusmodi inflexio figuram compositam inferret, ali-

quamque ſimplicium figurarum ante rejectarum neceſſario contineret.

Quapropter concludimus neceſſe eſſe inæqualem illam coſtarum à parte anteriori elongationem immutare earum naturalem figuram antrorſum ſeu extrorſum, oſ ſterni elevando & pectoris figuram (alioquin fere planam) anterius acuminando. Modum exprimunt ſequentia ſchemata.

Sit





Sit A Os ſterni: B vertebræ dorſi. C & D binæ coſtæ oppoſitæ, quas an-

 nulum

nulum quendam, ut hic cernitur, constituere diximus. Si ergo partes costarum anteriores, nempe inter C & A & inter D & A elongentur, neque tamen partes inter C B & D B quidquam huic elongationi respondeant vel ei cedant, necesse est anterius figuram annuli mutari. Cum ergo, ut supra monstravimus, costa inepta sit ad flexionem sursum, deorsum vel introrsum, necesse est eam prominere extrorsum seu antrorsum, ut exprimitur in 2 figura, ubi sternum A propter elongationem partis costæ C A & D A antrorsum propulsum & acuminatum exhibetur; quæ ipsa est figura vitiata pectoris in hoc morbo.

Præter causas angustiæ pectoris hactenus memoratas, addere hic possumus *imminutum incrementum costarum inter* C *&* B *tum inter* D *&* B. Debita enim Pectoris latitudo à justo istarum partium costarum incremento & elongatione maxime dependet. Si enim istæ partes costarum ad justam longitudinem accrescant, fieri non potest quin pectus ad latera justa fere proportione dilatent, subducto tantum tantillo angustiæ quod priores causæ solæ ei poterant inducere. Nam quo magis istæ costarum partes elongantur, eo etiam magis pars lateralis costæ D & pars C distabit à spina dorsi B, pectusque adeo latius redditur. E contra ubi reliquo corpore aucto istæ partes costarum vel parum vel non æque augentur, necesse est eas lateraliter minus distare à centro pectoris quam par est, ideoque pectus ad latera angustare. Siquidem

dem latera coſtæ C & D eo minus diſtant a ſpina dorſi & centro pectoris, quo minus elongantur coſtarum partes inter C B & D B, ut cuivis attendenti patet. Atque hæc ſufficiant dicta de cauſſis Anguſtiæ pectoris & Acuminationis ejuſdem in hoc affectu; quibus etiam tandem finem imponimus huic diſquiſitioni de vitiis Organicis in hoc affectu evenientibus.

CAP. XIV.

Eſſentia ſecundaria hujus morbi in conſtitutione animali.

FInito jam examine *conſtitutionis naturalis & vitalis* in hoc affectu læſæ, reſtat ut inquiramus in *conſtitutionem animalem*. Et ſupra quidem aſſeruimus nullum hic occurrere vitium primarium, & quod pars ſit eſſentiæ primariæ hujus morbi. An vero in ea adſit aliquod vitium ſecundarium, nunc veniet diſpiciendum.

Quandoquidem autem tum veteres tum neoterici qui de Facultate Animali ſcripſerunt, ne mentionem quidem fecerunt conſtitutionis animalis, nedum ejuſdem deſcriptionem tradere aggreſſi ſunt; jure meritoque ea a nobis illam agnoſcentibus exſpectabitur. Et cum aliqui viri cordati nonnihil diſſentiant ab iſta deſcriptione hujus deduci poteſt a

veterum & communi ſententia de facultate animali, remque illam ſecus explicantes aliam deſcriptionem paullo diverſam ſubſtituant; utramque hic in medium proferre viſum eſt.

Deſcriptio conſtitutionis animalis magis conformis opinioni veterum.

Secundum priorem ſive veterum vulgoque receptam opinionem & deſcriptionem facultatis animalis, conſtitutio animalis eſt *Affectio illa corporis quæ in generatione & motu debito ſpirituum animalium conſiſtit.* Per motum autem debitum ſpirituum animalium intelligi volunt excurſum eorum a cerebro per nervos inſtar fulminis, atque iterum eorum ad cerebrum recurſum, quo ei renuntient quid ab externorum ſenſuum organis percipiatur.

Alter ejuſdem conſtitutionis deſcriptio.

Alii vero, ut diximus, rem hanc aliter explicant. Concedunt quidem conſtitutionem animalem includere generationem & diſtributionem ſpirituum animalium; aſt illum pernicem motum fluxus & refluxus ſpirituum animalium, fulminis inſtar, in nervis aiunt eſſe inconceptibilem, &, ſi non inutilem, ſaltem tamen eſſe minime neceſſarium ad facultatem animalem ſtabiliendam. In ejus autem locum ſubſtituunt inter vigilandum *motum quendam contractivum & tonicum*, ſive *nixum motivum ipſius ſubſtantiæ cerebri, ſpinalis medullæ, nervorum inde ortorum, partiumque in quas diſtribuuntur.* Atque hunc motum ſive nixum *tenſitatem* quandam in partibus prædictis producere dicunt, vi cujus alterationes ab objectis quibuſvis iſtis partibus impreſſæ communicantur cerebro. Quemadmodum enim

enim in Cithara, ubi fides, ſunt debito modo tenſæ, ſi in alterutra extremitate quam leviſſime plectro percutiantur, motus iſte in momento, ſaltem Phyſico, excurrit ad alteram extremitatem; ita quoque aſſerunt moto aliquo nervo extra cerebrum debite tenſo, motum iſtum ob continuitatem & tenſitatem dictarum partium ad cerebrum ipſum extendi, ibidemque impreſſionem quandam ſuæ cauſſæ conformem ſignare. Inter dormiendum vero exiſtimant cerebrum, ſpinalem medullam, & pleroſque nervos nonnihil laxari. Et quidem, ſimpliciter ſemperque aiunt anteriores connexiones ſpinalis medullæ cum cerebro durante ſomno laxas manere: concedunt vero connexiones poſteriores cum cerebello aliquando tenſas eſſe, ut in Noctambulonibus, atque ita externa objecta quodammodo percipere, ſed non per ſenſum communem judicata, ſed tanquam à memoria ad phantaſiam reflexa. Neque etiam neceſſe eſſe arbitrantur inferiores omnes partes ſpinalis medullæ adeoque nervos inde ortos perpetuo inter dormiendum laxari; eum aves plurimæ pedibus inſiſtentes dormiant; cum reſpiratio per ſomnum aliquorum nervorum tenſitatem ſupponat; denique, cum, ubi primum obrepit ſomnus, ſuperiores nervi ferme laxentur prius quam inferiores. *Inſomnia* autem quod attinet, opinantur ea oriri ex varia & fortuita agitatione & mixtione diverſorum *ſigillorum* ſeu *impreſſionum* in memoria reconditarum, quæ jam denuo percipiuntur

ob retentam aliquam tenſitatem in monnullis cerebri partibus. Ubi vero in profundiore ſomno nulla obſervantur inſomnia, totum quoque cerebrum lavari affirmant.

Sive jam prior ſententia, ſive hæc poſterior veritati magis conſentanea ſit, nihil nos impræſentiarum moramur; neque hanc litem ſuſcipimus hic determinandam, cum utrovis modo facultas animalis functionem ſuam exerceat, ab iiſdem cauſſis, & fere ſimiliter vitium ſecundarium in animali conſtitutione per hunc morbum eveniat. N. m I. Quod ad *generationem ſpirituum animalium* attinet, ſive prior ſive poſterior ſententia aſſeratur, perinde erit; quod in cerebro, in quo utraque opinio ſupponit generari ſpiritus animales, nihil vitii (niſi forte alius conjungatur morbus) deprehendamus. Supra enim oſtendimus ipſum caput non eſſe inter partes primo affectas annumerandum, neque ejus actiones internas & proprias in hoc affectu vitari. Deinde II quod ad *deſtributionem ſpirituum animalium* attinet, ſive ea perficiatur prorſum & retrorſu eoque rapido illo motu inſtar coruſcationis fulminis, ſive motu tantum prorſum facto, eoque paullatino & placido, idem vitium in hoc affectu occurrit.

Vitia conſtitutionis animalis.

Etenim I. cum ſuppoſitus ille rapidus motus ſpirituum animalium fiat tranſitu per partes primo affectas, *viz.* per ſpinalem medullam extra calvariam, per nervos inde ortos, & per partes in quas ii nervi diſtribuuntur; & cum hæ omnes

partes

partes in hoc affectu laborent intemperie frigida, tum paucitate ac ignavia spirituum insitorum; necesse est debitam istius motus velocitatem nonnihil retardari. Frigida enim intemperies, ut & torpor ac inopia spirituum, cuivis motui (excepto constrictivo) repugnant. Dicat aliquis sententiam priori loco propositam supponere eximiam activitatem & subtilitatem spirituum animalium, quibus hanc repugnantiam facile possint superare. Verum, ut ut ita sit, cum partes, quas permeant, reagant, suamque frigiditatem & torporem iis communicare satagant, necesse est eas activitatem illam spirituum nonnihil retundere, subtilitatem minuere, expeditumque illum transitum aliquantum remorari. Quare supposita hac sententia ut vera, vitiabitur in hoc affectu constitutio animalis ex parte motus rapidi spirituum diminuti, idque secundario, cum motus hic non retardetur vitio primario spirituum animalium, aut vitio partium primo affectarum, quemadmodum dictum. Similiter in modo posterius proposito, in quo motus spirituum supponitur placidus & tranquillus, necesse est eas, dum tardiuscule per partes primo affectas transmittuntur, labem aliquâ à vitiata constitutione insita istarum partium contrahant, ob easdem rationes proxime præcedenti articulo allatas. Erit ergo secundum hanc quoque opinionem vitium secundarium in distributione spirituum animalium.

Tandem quod ad *tensitatem ipsius substantiæ cerebri, spinalis medullæ nervorum & nervosarum*

nervoſarum partium inter vigilandum attinet, quæ in poſteriori ſententia ante propoſita ſupponitur, neceſſe eſt defectum aliquem debite tenſitatis in ſpinali medulla extra calvam, in nervis inde ortis, tum in partibus ad quas diſtribuuntur in hoc morbo adeſſe. Etenim 1 Intemperies frigida & humida debitæ iſti tenſitati adverſatur. Ita quoque & torpor ac inopia ſpirituum inſitorum; quibus certe partes affectæ inertes redduntur minuſque aptæ ad animales actiones obeundas; contra quam evenit, quando prædictæ partes debitam ſuam tenſitatem obtinent. 2 Ex ſupra-dictis liquet Tonum harum partium in hoc affectu nonnihil vitiari propter nimiam laxitatem, flacciditatem, mollitiem, & internam lubricitatem, quæ qualitates juſtam earundem partium tenſitatem evidentiſſime labifactant. Quamvis ergo cerebrum in hoc affectu debitum forte influxum ex parte ſua prebeat, vix tamen, & ne vix quidem fieri poteſt, ut ſufficienti gradu tenſitatem ſuam ſpinali medullæ extra calvam nerviſque inde ortis, &c. ob intemperiem, torporem & inopiam ſpirituum inſitorum, tum tonum earum partium vitiatum, ut dictum, communicet. 3 Symptomata in hoc morbo animalem facultatem ſpectantia idem luculentiſſime confirmant. Etenim pueri hoc morbo affecti ab ipſo ejus principio minus robuſte (ſi cum aliis coætaneis conferantur) ſe movent atque exercent, minuſque delectantur luſibus maſculis; aſt in progreſſu morbi

bi motum fere omnem concitatiorem a-
versantur, pedibus insistentes vacillant,
quæruntque sustentaculo, vix aliter in-
cedentes erecti; neque ludere delectan-
tur nisi sedentes aut recumbentes, vel
brachiis molliter gestati; denique spina
debilis emaciato corpori erecto, vel one-
ri grandiusculi capitis vix sufficit susten-
tando. Quæ omnia satis superque de-
monstrant tensitatem partium motui in-
servientium esse minus in hoc affectu ri-
gidam quam inter vigilandum ex æquo
requiritur. Si ergo ista debita inter vi-
gilandum tensitas sit pars constitutionis
animalis, quod hic supposuimus, eadem
certe vitiata constituit necessario morbo-
sam affectionem in constitutione ani-
mali: & cum hoc vitium non primario
ab ipso cerebro, sed ab insita con-
stitutione partium primo affectarum de-
pendeat, secundarium vitium respectu
animalis constitutionis jure merito
censendum est.

Occurrit tamen hic scrupulus: Quæ-
ret aliquis cur sensus quoque in hoc af-
fectu non pariter lædantur ac vis moti-
va? In promptu est ratio. Longe ma-
jor tensitas, robur, & vigor nervorum
ad facultatem motivam quam sensitivam
exercendam requiritur. Ad sensationem
enim leviſſimus fere motus tonicus ner-
vorum sufficit, non item ad motum.
Sic observare licet in motu cujusvis arti-
culi musculos eum moventes admodum
duros, tensos, ac rigidos esse: verum re-
missa illa duritie, rigiditate ac tensitate
sensationem nihilominus facile peragi.

Cur sensus non æque hic lædatur ac motus.

Neque

que obſtat, quod aliquando in Paralyſi ſenſus nonihil ſtupeat permanente motu: Paralyſis enim affectus eſt ab hoc plane diverſus. In ea quippe vitium primarium in ipſa conſtitutione animali reſidet; fieri ergo poteſt, ut non minus ſenſum quam motum afficiat. Præterea quando forte nervus cutaneus debito cerebri influxu caret, is vero qui ad muſculos iſtius partis fertur, eo fruitur, fieri poteſt, ut hac etiam de cauſſa tollatur ſenſus manente motu; licet caſus hic non tam frequens ſit, ſæpiuſque motus aboleatur conſtante ſenſu. Sed de hac re ſatis ſuperque diximus. Atque ita tandem deprompſimus ea quæ de integra eſſentia hujus morbi tum primaria tum ſecundaria meditati ſumus, idque qua potuimus perſpicuitate in materia difficili & ab aliis ante non tractata præſtitimus. Proximum eſt ut ad cauſſarum hujus affectus examen nos accingamus.

CAP.

Cap. XV.

Παχήνδος causſæ, & i quæ ad Parentes attinet.

Eſſentiam hujus morbi *primariam* atque etiam *ſecundariam* ſuperius fuſe explicuimus: & quidem dependentiam *eſſentiæ ſecundariæ* à *primaria* ibidem ſatis demonſtravimus. Non ergo hic exſpectandum eſt, ut denuo ex profeſſo & ſpeciatim de cauſſis eſſentiæ ſecundariæ, quas nempe ante retulimus, tractemus. Sufficiet cauſſas eſſentiæ primariæ inveſtigaſſe. Si qua tamen occurrat cauſſa quæ una influat cum in primariam, tum ſecundariam morbi eſſentiam, eam hic quoque obiter annotare non gravabimur.

Omiſſa vero omni ἀκριβείᾳ circa varia cauſſarum genera, ad duo ſolummodo capita diſcurſum hunc noſtrum contrahere viſum eſt. Prius continet *infirmitates, morboſaſque parentum diſpoſitiones*, quæ forte eatenus in liberos influunt, ut ſaltem proclivitatem aliquam & aptitudinem ad incidendum in hunc affectum (ſi non actu ab ipſo ortu in eum delapſi ſint) inferant. Poſterius comprehendit *cauſſas hujus morbi acceſſorias*; eas nempe, quæ pueris poſt partum accidunt. Duo ſumma cauſſarum hujus morbi genera.

De

An & quatenus morbus hic dici possit hæreditarius. Morbus hæreditarius est vel proprie, vel improprie sic dictus.

De primi generis caussis occurrit in ipso limine quæstio, utrum & quatenus morbus hic dici possit *hæreditarius*? Quo felicius in hujus quæstionis determinatione procedamus, distinguendus est morbus hæreditarius in *proprie* & *improprie* sic dictum. Et quidem morbus hæreditarius proprie sic dictus semper supponitur præextitisse in utroque vel alterutro parente, indeque in prolem esse derivatus. Morbus vero hæreditarius improprie dictus non supponitur in *eadem specie* præextitisse in utroque vel alterutro parente; præcessisse tamen necesse est vitium quoddam (forte diversi plane generis) in altero saltem eorum, cujus virtute dispositio quædam proli impressa est, qua in morbum hunc improprie hæreditarium proclivis redditur.

Uterque rursum duplex.

Porro morbus hæreditarius proprie dictus adhuc duplex est: vel in *conformatione*, ut quando mancus mancum, surdus surdum, cæcus cæcum generat; vel in *constitutione similari*, ut quando podagricus podagricum gignit. Notandum est in priori genere a primis effictis formationis staminibus actu fœtui inesse vitium hæreditarium; in posteriori vero non necesse est actu inesse fœtui à prima formatione morbum ejusdem speciei cum morbo parentum; sed sufficit ejusmodi dispositio à parente altero vel utroque impressa, quæ tractu temporis ex concursu aliorum incidentium caussarum in eundem actuari possit. Adhæc morbus quoque improprie dictus hæreditarius similiter

similitur duplex esse potest, nempe vel in *conformatione*, vel in *constitutione similari*. In *formatione*, ut quando neuter parens cæcus, luscus, balbus, claudus, &c, prolem tamen cæcam, luscam, balbam, aut claudam ex ipso vitio formationis in utero in lucem producit. Etenim in casibus propositis, id ipsum vitium quod in prole cernitur, ab aliquo vitio parentum, licet forte diversi generis, profluxit, adeoque morbus hæreditarius, etsi improprie, nuncupari potest. Similiter in *constitutione similari* prolis morbus improprie hæreditarius residere potest, ut quando melancolicus, & sedentarius, vel etiam intemperans prolem generat cachexię aut podagræ obnoxium, licet forte parens neque cachexia neque podagra unquam laboraverit.

Quæstionis prædictæ solutio.

Hisce præmissis ad quæstionis solutionem propius accedimus. Et dicimus 1 hunc morbum non contineri, sub priori specie morbi hæreditarii proprie dicti. Illa enim in formatione consistit; hic vero morbus secundum essentiam suam primariam est morbus similaris, ut supra demonstravimus, & rarissime à primo ortu, nedum ab ipsa prima conceptione & formatione se prodit. Atque ob easdem rationes asserimus etiam hunc affectum non pertinere ad priorem speciem morborum hæreditariorum improprie dictorum, qui similiter in formatione partium consistunt, & mox à prima formatione inchoantur.

II. Dicimus fieri posse morbum huc cadere

cadere ſub ſecunda ſpecie propoſita morbi hæreditarii proprie dicti, nempe illa quæ in conſtitutione ſimilari conſiſtit. Hoc tamen ut certum & exploratum ſtatuere nequimus, cum pueri quas hactenus hoc morbo afflictos novimus nondum ad eam ætatis maturitatem pervenerint qua liberos generent, ideoque non aliter quam per probabilem conjecturam opinari nobis licet, an eorum progenies hæreditario jure quondam hoc morbo contaminata ſit futura, necne.

III Dicimus in multis pueris morbum hunc cadere directe ſub ſecunda ſpecie morbi hæreditarii improprie dicti ſuperius propoſiti. Etenim ſecundum ejus primariam eſſentiam eſt morbus ſimilaris, & licet nondum ſatis diu nobis innotuerit, ut quid in ſecunda progenie efficiat definire valeamus, frequenter tamen in preſenti progenie rudimenta quædam hujus morbi in multis ab altero vel utroque parente derivata fuiſſe deprehendimus. Adeo ut licet neuter parens hoc morbo in infantia vel pueritia laboraverit, apparatus tamen aliquis & pronitas in hunc affectum ſtatim in eorum infantulis apparuerit, præſertim in iis quorum parentes ob vitium aliquod corporis, vel errores vitæ diſpoſiti ante coitum fuerunt ad hanc labem fœtui inurendam. Quæ autem affectiones parentum eos ad liberos huic morbo facile obnoxios generandos diſponant, mox ordine enumerabuntur; ex quibus etiam ulterior confirmatio aſſertionis hujus liquebit.

IV Di-

IV Dicimus, licet affectiones Parentum frequenter in fœtibus disposition quandam ad hunc morbum incurrendum imprimant, adeoque in secunda acceptione morbi hæreditarii improprie dicti affectus hic censendus sit, ut modo dictum, rarissime tamen accidere ut hic morbus in actum erumpat ante fœtus partum. Testatur aliquis nostrum se semel, & semel tantum, vidisse puerum recens natum hoc morbo afflictum. Atque in eo spina dorsi & collum adeo erant debilia, ut nulla ratione valerent grandiusculum caput sustinere. Obiit hic intra tres menses post partum. Quibus patet eum gravissime fuisse affectum. Videtur ex modo dictis conspicuum, infantes, ut ut frequenter dispositionem ad hunc morbum à parentibus mutuentur, rarissime tamen in eum ante partum incurrere, ubi vero in eum tam præmature incurrunt, gravissime affligi. Cujus utriusque eventus ratio quæri possit. Quod ad priorem attinet, dicimus hunc affectum ex parte consistere in intemperie frigida partium primo affectarum, & quidem inæquali, frigidiori scilicet in dictis partibus habito respectu ad temperiem capitis & viscerum; hancque inæqualem frigiditatem istarum partium magni esse momenti in hoc morbo, idque etiam ratione ipsius inæqualitatis: hæc enim multum contribuit inæquali illi & imminutę distributioni vitalis sanguinis ad partes primo affectas. Cum ergo eo tępore, quo fœtus in utero gestatur, inequalitas hæc temperamenti partium primo affectarum

affectarum plurimum corrigatur, & avertatur ab æquali calore, quo uterus corpus Embryonis undique arcte amplectitur & fovet, sequitur gestationem non parum huc morbum arcere, atq; ejus invasionem ad minimum retardare. Corpus enim uteri æquali calore undique perfusum omnesque partes Embryonis ex æquo complectens ac fovens haud facile permittit unam partem præ alia algere, adeoque imminuto sanguinis vitalis affluxu irrigari. Quapropter cum illa ipsa inæqualitas coloris ac irrigationis sint partes essentiæ hujus morbi, & sine quibus morbus hic consistere non potest, minime mirandum est uterum hasce morbi partes strenue impugnantem ejus invasionem, durante saltem impræg natione plerumque protrahere.

Cur ii, qui ante partum hoc morbo correpti fuerunt, gravius ac periculosius laborent.

Quod ad posteriorem partem quæstionis propositæ attinet, cur nempe Infantes, qui ante partum hoc morbo correpti fuerunt, gravius ac periculosius laborent, dicimus secundum illud *Hippocr. sect.* 2. *aph.* 34. morbum, qui cum ægrotantis conditione minus cognatus fuerit, periculosiorem esse eo qui secus; ut febris seni quam juveni majus minatur periculum, hyemeque quam æstate. Morbus enim qui ægrotantis conditioni conformis est, leviorum postulat causam prosui introductione; is vero qui illi contrarius est magnitudinem causæ arguit, quæ non obstante fræno effectum suum proferat. In præsenti ergo affectu si æqualis uteri calor non possit coercere propensitatem

tatem Embryonis ad hunc morbum, quin eum incurrat, neceſſe eſt cauſſam à Parentibus impreſſam eſſe vehementem, ipſoque principia ſeminalia eſſe inſigniter labefactata. Spes itaque in anguſto eſt ubi fœtus hoc morbo laborans naſcitur, neq; prudens medicus curationem abſq; ingentis periculi prognoſtico aggredietur. Porro corollarii vice aliam regulam priori affinem, licet forte nondum certam & comprobatam, ſubtexamus. Pueros nempe, quo citius à partu hoc morbo corripiuntur, eo ſdifficilius (cæteris daribus) ab eo liberari. Sed hæc ſufficiant de propoſita quæſtione.

Enumeratio cauſſarum quæ ex parte Parentum hunc morbum Producunt.

Jam nos accingamus ad diviſionem & enumerationem cauſſarum quæ ex parte Parentum hunc morbum producunt. Vitia hæc parentum alia reſpiciunt generationem ipſius ſpermatis, è quo fœtus conſtant; alia reſpiciunt *Embryonem jam conceptum* & in utero adhuc geſtatum. Vitia generationis ſeminis ſive in mare, ſive in fœmina, vel *à toto corpore*, vel *à partibus generationi dicatis* procedunt. Vitia parentum a toto corpore dependentia eo maxime in fœtum influunt, quod materiam generationi ſeminis minus aptam ad partes huic muneri dicatas tranſmittant. Non animus eſt ſingula materiæ ſeminis vitia hic recenſere, aſt ea ſolummodo quæ ad hoc malum proli inferendum conſpirant. Hæc ad 4 Claſſes reducimus.

1. Ante conceptionem. Vitia Parentum à toto corpore dependentia.

1. Intemperies frigida & humida materiæ ex qua ſemen generatur, ejuſque cauſſæ.

I Claſſis continet *intemperiem frigidam humidam materiæ, ex qua ſemen generatur.* Hæc præcipue provenit ab *intemperie frigida*

frigida & humida parentum, ad quam etiam referrimus *cacothymiam*, *præsertim pituitosam & serosam*; item *cachexiam*, *hydropem* & forte *morbam virgineum*, quę febrim albam vocant, non satis ante conceptionem eradicatum; qui omnes affectus manifeste faciunt ad materiam aquosam, frigidam, humidam partibus genitalibus suppeditandam; qualis non modo in genere minus apta est ad spermatis generationem, sed & specialiter inclinat ad conditionem hujus morbi, cujus pars essentiæ primariæ in ipsa intemperie frigida & humida consistit, ut supra monstravimus. Porro ad hunc titulum revocare forte licet *scorbutum*, *strumosam affectionem*, *Luem veneream*, *Ictterumque*, in quibus sanguis quoq; sordibus & excrementitiis humoribus, ichoribusq; malis inquinatur, ut non facile in semen probum ac laudabile commutari possit.

2. Inopia spirituum insitorum in materia dicta, ejusque caussæ.

II Classis continet *Inopiam spirituum insitorum in materia è qua semen generatur*. Ex hujusmodi enim materia semen spirituosum confici non potest. Caussæ quæ talem materiam partibus genitalibus suppeditant sunt *corpora generantium exsucca*, *extenuata*, *emaciata*, sive à longa inedia, sive ab evacuatione aliqua nimia, ut à diu continuatis *vomitu*, *diarrhœa*, *dysenteria*, *lienteria*, *fluxu hepatico*, *ab hæmorrhagia profusiore ex quacunque parte*, *à sudoribus nimiis*, *à diuturno aliquo morbo viribus necdum ante coitum reparatis*; *a febre*, *aut alio gravi aliquo morbo præsente*; præcipue *Tabe*, *febre*

bre hectica, atrophia ex quacunque causa, denique ab imminuta alimenti ultimi, ob cujusvis partis vitium, concoctione. Etenim in istiusmodi casibus, materia, quæ ad partes generationi inservientes amandatur, competente copia insitorum spirituum destituta est, unde partes semen præparantes ac coquentes defectum hunc nequeunt integre corrigere, semenque satis spirituosum ejaculari. Cum ergo non minima pars primæ essentiæ hujus morbi in penuria spirituum insitorum consistat, fieri non potest, quin fœtus ex tali semine parum scilicet spirituoso genitus, innatam quandam dispositionem ad hunc affectum in primis suis rudimentis impressam contineat, quæ postea, concurrentibus aliis caussis, facile in actum deducatur.

III Classis continet *torporem* seu *stuporem materiæ transmissæ ad partes genitales*, è qua semen producitur. Etenim non modo partes solidæ, sed & tota massa sanguinis, humoresque in ea contenti torpori ejusmodi sunt obnoxii. Atque hinc est quod Medici sæpius dicant in morborum caussis reddendis, humores, tum etiam sanguinem esse nimis fluxiles & mobiles, debitoque concitatiores, interdum è contra esse ineptos ad motum, minus fluxiles esse, minusque æquo activos; atque hujus quoque rei respectu mediocritas quædam est salubberrima. Verum plura huc spectantia videantur supra. Prosequemur hic tantummodo *vitia parentum* à quibus hic

3. Torpor materiæ dictæ.

hic defectus vigoris & activitatis in seminis materia oritur. Sunt hæc ergo,

Ejus Causæ. 1 ipsa *constitutio parentis alterutrius vel utriusque mollis, laxa, & effœminata*, ad actiones robustiores ac viriles indispositæ. 2 *Diæta humidior, & plenior*, Epicurea, frequentibus cruditatibus obnoxia. 3 *Vitæ genus delicatum, mollitiei ac voluptatibus deditum, ignavum, laboribus periculis & curis rarius assuetum.* Huc referas quoque *exercitii fortioris omnimodum defectum, somnum immoderatum, præsertim mox post cibum, & somnolentiam qualemcunque, vitam sedentariam, speculativam, scientiis, & mollioribus artibus, puta poeticæ, Musicæ, Cosmeticæ & similibus solum intentam.* Huc etiam reducimus *Comœdiarum & spectaculorum scenicorum quotidianam frequentationem, Fabularum & Historiarum Commentitiarum assiduam Lectionem, locoque masculi exercitii lusus pictarum chartarum aut alearum frequentiores.* Huc pertinent etiam *Pacis diuturnioris ac opulentiæ solennes fructus, securitas, incuria, negligentia & similes.* Omnia jam hæc enumerata vitia ad mollitiem & torporem partibus inferendum manifeste faciunt. Cum ergo sanguis, una cum humoribus in eo contentis, in circuitu suo perluat omnes partes sic torpidas redditas, fieri non potest, quin in transitu suo aliquam alterationem eodem spectantem subeat; & cum portio sanguinis transeuntis torpore nonnullo, ut dictum, affecti, transmissa ad partes genitales evadat ipsa materia ex qua generatur semen, facile inferri potest fœtum ex talibus

principiis

principiis oriundum intra se contrahere proclivitatem saltem aliquam ad torporem & ignaviam nativæ suæ materiæ conformem, illamque proclivitatem post partum summota præservatione ab æquali uteri fotu, à variis caussis non difficulter in actum deduci: Quapropter cum torpor ejusmodi sit pars primæ essentiæ hujus morbi, sequitur in talibus seminalibus principiis dispositionem quandam ad hunc affectum ab altero aut utroque parente derivatam delitescere.

IV. Classis continet *vitiosas dispositiones* (si quæ tales occurrunt) *Parentum qui ipsi in pueritia sua hoc morbo laboraverint.* Hæ siquidem morbi hereditarii proprie dicti notam liberis inurerent. Verum, quia, ut supra dictum, nondum liquet an Parentes hoc morbo in Pueritia afflicti prolem eo affectam genituri sint; præterea, quia Parentum vitia vel ad aliquam unam trium prædictarum classium, vel ad plures, vel simul omnes commode referri possint, non erit operæpretium iis hic pluribus insistere. Quare enumeratis jam vitiis à toto corpore parentum dependentibus, proximo loco accedimus ad *ea vitia quæ in ipsis partibus genitalibus residet.*

4. Vitiosæ dispositiones parentum qui ipsi forte in sua pueritia hoc morbo laboraverint.

Vitia hæc partium genitalium sunt interdum *intemperies frigida*; interdum *humida*, quando præ nimia humiditate laxantur & enervantur, unde sperma vel plane infœcundum vel in hunc morbum proclivia excernunt. Adhæc, interdum iltæ partes *Gonorrhœa sive virulenta, sive biliosa, sive aquea* infestantur, semenque minus

Vitia in ipsis partibus genitalibus residentia.

minus elaboratum ejaculantur; idem dicendum est de *fluore albo & rubro in mulieribus*. Tandem nonnulla *extrinsecus partibus genitalibus admota* huc quoque spectant; ut unguenta ex *cicuta aliisve narcoticis* præsertim frequentius iis illita; similiter unguenta, *plumbum album vel rubrum, ceruſſam, calcem plumbi, litharg yrum, ſaccharum ſaturni & ſimilia* recipientia, assidue diuque istis partibus applicata. Ejusmodi enim activitatem spirituum insitorum in istis partibus retundunt, torporemque quendam iis inferunt, qui semini in illis confecto communicatus prolem ad hunc affectum disponunt.

II Causſæ ex parte matris hunc morbum post conceptionem producentes.

Absolvimus demum institutam enumerationem causſarum, si non omnium, saltem præcipuarum majorisque notæ, *quæ ante conceptionem circa generationem feminis prolifici occurrunt*, & ad hunc affectu invehendum faciunt. Sequuntur jam *vitia & errores matris tempore geſtationis fœtus in utero*, quæ etiam inter hujus affectus causſas ante partum reputandæ sunt.

1 Intemperies frigida & humida ipſius uteri.

1. Occurrit *intemperies frigida & humida ipſius uteri*, quæ (ut cuivis, vel nobis tacentibus, facile manifestum est) ex assiduo contactu Embryoni promptissime communicari potest.

2 Quæcunque faciunt ad improbum alimentum embryoni ſuppeditandum.

2 Loco se offerunt *ea omnia quæ ſuccos crudos parumque defæcatos, excrementitiis humoribus aut ichoribus refertos, vice probi alimenti, Embryoni ſuppeditant*. Huc spectat imprimis *inſalubris gravidarum diæta*, præsertim ad humiditatem & ſi

gi ditat'e

giditatem cruditatesque accumulandas inclinans. Porro idem faciunt *coctiones earundem seu primæ seu secundæ imperfectæ* & deficientes, maxime ubi neque vomitu, neque alia evacuatione cruditates inde provenientes excernuntur, sed eæ cum sanguine materno ad fœtum tandem pro alimento derivantur. Præterea si gravidam post conceptionem invadat *morbus humidus frigidusque, ut intemperies cum materia frigida & humida, cachexia, hydrops, &c.* facile inde evenire potest, ut impurum quoque alimentum, quodque hujus morbi seminia tum ferat tum foveat, Embryoni dispensetur.

3. Loco censenda sunt *ea omnia quæ quocunque modo Embryonem debito alimento defraudant*; ut *evacuatio quævis justo profusior, imprimis hæmorrhagia longior ex alla parte*; item *venæ sectio vel temere, vel justo largior adhibita.* Huc etiam refertur *nimius veneris usus tempore gestationis. Alterius quoque Infantis lactatio* divertere potest sufficientis alimenti affluxum ab utero versus mammas. Huc spectat *diuturna inedia, ut & atrophia quæcunque matris gravidæ, aut appetitus cibi plane dejectus, vel defectus coctionis. Febris tandem acuta prægnanti accidens*, præter alia incommoda, defraudare quoque potest fœtum sufficienti alimento; *febris item hectica.* Hæc omnia non modo *virium vitalium dejectionem & imminutam nutritionem* fœtui inferunt, verum & insuper *penuriam spirituum insitorum.* Etenim absque debita nutritione eliquantur ac dissipantur spiritus insiti, tum necessaria etiam re-

3 Quæcunque Embryonem quovis modo debito alimento defraudant.

paratione deſtituuntur. Cum ergo pars eſſentiæ hujus morbi in defectu ſpirituum inſitorum conſiſtat, neceſſe eſt à prædictis cauſſis diſpoſitionem aliquam ad hunc affectum fœtui impertiri.

4 Nimium gravidarum otium.

4. Et ultimo, *Nimia gravidarum ſomnolentia, ignavia, mollities, averſatio laboris & exercitii poſt conceptionem* huc etiam nonnihil contribuunt. Licet enim violentiores motus actioneſque cujuſvis generis gravidis interdicantur, moderati tamen labores, vigiliæ, & exercitia quæ nullam vim utero inferunt aut abortum provocant, non modo ad ſanitatem matris faciunt, ſed & nonnihil torporem Embryonis excutiunt, ejuſque calorem, vigorem, & activitatem excitant atque adaugent. Atque ita finem imponimus huic capiti primo *de cauſſis hujus morbi ante partum*. Reſtant examinandæ *eæ quæ poſt partum incidunt*.

CAP.

Cap. XVI.

Cauſſæ hujus morbi Pueris poſt partum incidentes.

NOtavimus præcedenti capite infantes ab ipſo ortu rarius hoc morbo affligi, nativa vero diſpoſitione ad eundem frequenter ob cauſſas illic memoratas affici. Proſequemur jam *cauſſas quæ vel nativam illam diſpoſitionem poſt partum actuare aptæ ſunt, vel de novo & integro hunc morbum producere.* Sciendum autem eſt, eaſdem cauſſas quæ diſpoſitionem nativam ad hunc morbum actuent, eundem poſſe de novo producere, ſi gradu ſatis intenſæ ſint. Ideoque fatemur pueros à nativitate in hunc affectum pronos, facilius, id eſt, à cauſſis gradu remiſſioribus affici; alios vero ab omni nativa labe immunes non niſi à cauſſis potentioribus in eundem incidere; interim cauſſæ iſtæ ejuſdem ſunt generis & gradu ſolo diſtinctæ. Quare non opus fuerit de his diſtincte & ſeparatim agere; ſuffecerit has ſimul & indiſcriminatim propoſuiſſe.

In ipſo limine occurrit Quæſtio diſcutienda; utrum nempe *Contagium* inter cauſſas hujus morbi annumerandum ſit, adeoque utrum morbus hic proprio ſenſu morbus ſit *contagioſus*? Certe qui

An morbus hic ſit contagioſus?

considerat morbum hunc veteribus incognitum hoc ultimo seculo occidentales Angliæ tractus primum invadentem, intra paucos annos per totam fere Angliam dispersum esse, facile prima fronte opinetur eum esse vere contagiosum, & per contagium tam longe lateque disseminari. Sed pressius attendenti aliter se res habere videbitur. Licet enim morbus hic aliquo forsan modo nitatur sibi similem affectionem aliis corporibus imprimere; vix tamen eo usque procedit, ut morbum ejusdem speciei de integro producat. Forte equidē nonnullam leviusculam inclinationem alteri corpori possit imprimere, immo interdum ipsam forte morbi invasionem in corpore insigniter ad eum prædisposito acceleret aut promoveat, neque tamen propterea nomen morbi proprie contagiosi mereatur. Omnes enim morbi corpora sibi proxima immutare sibique assimilare satagunt; non tamen id sufficit, ut omnes morbi contagiosi denominentur. Ad morbum enim contagiosum proprie sic dictum constituendum requiritur ulterius, ut propaget à se *fermentum quoddam seminale* sui, quod se clam insinuans in alia corpora, paullatim morbum ejusdem speciei in ea introducat. Verum hic morbus nullum tale fermentum in sua essentia continet, neque clanculum propagatur emisso prius à se seminio quod vicinis corporibus morbum ejusdem speciei imprimat. Diximus enim supra, essentiam hujus morbi primam consistere in frigida & humida intemperie, in tor-

Negativa asseritur.

Quid potissimum requiratur ad morbum proprie contagiosum constituendum.

pore

ore & inopia ſpirituum inſitorum; quæ affectiones ſi quæ corpora propinqua aſſimilare conentur aperto marte, non vero ex inſidiis & clandeſtinis prius immiſſis igniculis id aggrediuntur. Similiter ſi reſpicias ad eſſentiam ejus ſecundariam, neque tonus vitiatus, neque conſtitutio ſeu vitalis ſeu animalis læſa, neq; organorum depravationes aptę deprehendentur in hoc affectu fermenti inſtar clam in alia corpora ſe inſinuare, ſpeciemque ſuam propagare. Denique ſi velimus ipſam experientiam hic conſulere, res extra dubium oppido ſtatuetur. Etenim obſervamus frequenter pueros ſeu coætaneos, ſeu prope coætaneos in iiſdem ædibus enutritos, quorum unus aut alter hoc morbo forte afflictus fuerit, dum alius aut plures eorum minime laborent. Immo novimus pueros non tantum communibus edibus, aſſiduoque mutua ſocietate gaudentes, ſed & quotidie communi menſa & lecto utentes, quorum alter hoc malo affectus ſocium convictus & concubitus nullo modo inſecerit: quod ſane vix videtur contingere potuiſſe in morbo proprie contagioſo. Quapropter excluſo contagio è numero cauſarum hujus morbi, ad alias veriores inveſtigandas noſmetipſos accingamus. *Cauſas poſt partum* hunc morbum invehentes in duas claſſes diſtribuimus. Prior continet *errores huc facientes in uſu 6 rerum non-naturalium*: Poſterior complectitur *morbos diverſi generis præcedentes, qui poſt ſe aptitudinem aliquam ad hunc affectum relinquere ſæpius ſolent.*

Cauſæ hujus morbi poſt partum.

Quod ad priorem classem attinet de abusu 6 rerum non naturalium, quatenus hunc affectum respiciunt, cum pueri rarius vehementioribus *animi passionibus* commoveantur, vixque inde hunc morbum incurrant; deinde cum etiam *veneris usus* ad eos non pertineat; ad 5 capita sequentia caussas has revocabimus. Ad *Aerem*, tum *ea quæcunque extrinsecus corpori occurrunt aut applicantur*; ad *Cibum & Potum* seu *quæ intus assumuntur*; ad *motum & quietem*, *vitæ genus*, *actiones & exercitia*, *ad somnum & vigilias*; denique ad *ea quæ retinentur in corpore præter naturam*, *aut excernuntur*. Quæ singula ordine proposito, qua possumus brevitate, examinabimus.

De *Aëre & extrinsecus occurrentibus*.

Aer humidus & frigidus.

Aër humidus & frigidus multum huc contribuere potest. Etenim cum is facilius occurrat partibus externis & in hoc morbo primo affectis, quam visceribus intus reconditis, directe facit ad inæqualem illam intemperiem, frigidam nempe & humidam (quæ pars est primæ essentiæ hujus morbi) istis partibus imprimendam. Hujusmodi Aeris constitutio circa veris principium maxime viget, quo idcirco tempore cautas decet esse nutrices, ne infantes ad hunc morbum propensos nimium Aeri exponant; ut & ubi Aer nebulosus, crassus, pluviosus, vaporibusque scatens observatur. Hinc loci maritimi, paludinosi & pluviis imbribusque frequentioribus obnoxii, immo vel numerosis

numerosis aquarum scaturiginibus irrigui, cæteris paribus, in hunc morbum fœcundiores esse solent. Similiter ædes juxta ripas fluminum majorum, juxta stagna, piscinasque exstructæ hoc nomine culpantur. Præterea *Balnea frequentia, ablutionesque cum aqua dulci*, licet actu calidæ adhibitæ, cum potentia sint frigidæ ac humidæ, huc etiam referantur; nam intemperiem suam partibus, queis adhibentur, ex parte communicant, & manifeste toni mollitiem ac laxitatem, sanguinisque circuitum nimis lubricum & ignavum in istis partibus plus minus efficiunt.

Balnea frequentia ablutionesque cum aqua dulci.

Huc etiam annumeremus *linimenta frigida & humida*, ut & *laxantia & lubricantia* in tenella ætate diutius continuata, præsertim circa spinam aut origines nervorum. Denique *lintea molliora*, tum *non probe siccata* hujus morbi radices fovent. Ob hanc causam, inter alias, accidit pauperum infantulos minus huic malo obnoxios esse, quod nempe plerumque asperioribus linteis, aut forte laneis integumentis involvantur. Quæ utraque tum fricando partes, tum eas titillando calorem insitum excitant & adaugent, vitalisque sanguinis affluxum copiosiorem ad habitum corporis irritant, adeoque magni sunt momenti ad hunc morbum arcendum. Lintea vero molliora neque irritant calorem in externis partibus, neque enim probe fovent. Etenim si forte per tantillum temporis spatium à partium contactu amoveantur, calorem suum protinus exuunt, proximoque contactu

Linimenta frigida & humida aut laxantia & lubricantia.

Lintea molliora, item non probe siccata.

tactu ſenſum frigiditatis partibus inſerunt. Quare ejuſmodi lintea cum ſint inter ea quæ extrinſecus applicantur, & cum ſola frigiditate ac mollitie hic noxia ſint, ad hanc primã cauſarum elaſſem, ejuſque partem primam quæ humida & frigida extrinſecus occurrentia complectitur, retulimus.

Aër noxiis inquinamentis infectus.

2 Loco *Aer ſpeciali quodam inquinamento infectus*, ut noxiis exhalationibus metallicis, quæ ut plurimum, venenoſa quadam maligaitate ſpiritus inſitos partium oppugnant, eoſque vel extinguunt, vel fugant ac diſſipant, tonumque partium ſimul exſolvunt vimque pulſificam, in partibus præſertim externis, quibus primum occurrunt, ſaltem minuunt, ſi non etiam languore afficiant & enervent. Huc imprimis faciunt *exhalationes è plumbo, antimonio, argento vivo, ſimilibuſque elevatæ.* Porro *unguenta ex iiſdem confecta*, ſi frequentius aut intempeſtive partibus primo affectis illinantur, idem præſtant; quamvis hęc etiam nonnihil ad quartum hujus claſſis titulum ſorte pertineant. Obſervavimus autem pueros nonnullos *unguentis mercurialibus* illitos ad necandam ſcabiem in hunc poſtea morbum incidiſſe.

Linimenta ex mercurio ſimilibuſque parata.

Obſervatio.

Aer impenſe calidus.

3 Loco *Aer impenſe calidus, ſubtilis, vehementer attenuans ac diſſolvens*, quod ſpiritus inſitos diſſipet, evocet, ac abſumat inter cauſas hujus morbi annumerari debet. Similiter *linimenta calidiora* & præſertim ſimul diſcuſſiva, *olea chymice diſtillata* & non ſatis correcta temperatorum admixtione: hæc enim in tam tenera

Linimenta calidiora.

nera conſtitutione partum facile eliquant & in tenues auras reſolvunt ſpiritus inſitos, adeoque inopiam ſpirituum inſitorum inferunt. Huc etiam referenda *balnea acria, ſalina, calida & diſcuſſiva*; immo & *intempeſtive* aut *ultra modum juſtamque menſuram adhibita*. Nam hæc, ſimiliter ut priora, ſpiritus eliquant atque abſumunt. Balnea calidiora, & quæ nimium ſiccant & diſcutiunt.

4. Et ultimo, *Aer exhalationibus vaporibuſve narcoticis refertus, & balnea, fomentationes & linimenta ex ſoporiferis, ſeu narcoticis, cicuta, hyoſcyamo, opio, ſolano, ut & ſimilibus* confecta, atque extrinſecus adhibita, ad hanc claſſem etiam commode accenſentur. Nam torporem partibus primo affectis, in quas primum vim ſuam exerunt, facile inferunt; qui torpor non modo ipſe pars eſt primæ eſſentiæ hujus morbi, ſed & facile obtundit ac minuit vitalem influxum in iſtis partibus, adeoque etiam cauſa eſt iſtius partis eſſentiæ morbi ſecundariæ, quæ in conſtitutione vitali conſiſtit, quam rem ſupra fuſius explicuimus. Atque hæc de extrinſecus occurentibus. Aër narcoticis exhalationibus ſcatens. tum balnea, fomentitiones, & linimenta ex narcoticis confecta.

II *De Cibo & Potu, intraque aſſumptis.*

Ad hunc titulum pertinent primo *Alimenta cujuſvis generis nimis humida & frigida*. Quippe quę fovent manifeſte intemperiem, in qua pars eſſentię hujus morbi conſiſtit. Huc ergo referimus *piſces plurimos, ciboſque crudos & coctione non ſatis præparatos*: item ea omnia *quæcunque faciunt ad defectum coctionis in ventriculo*. Itaque novorum ciborum in- Alimenta nimis humida & frigida.

gestio, priusquam alii ante assumpti concocti sint, in pueris ad hunc affectum dispositis, valde noxia est; & omnino dieta paullo plenior potius quam parcior hoc respectu improbanda est; obruit enim calorem, crudosque humores accumulat. Et forte hæc una inter causas speciales reputanda est, cur morbus hic frequentius generosorũ quam rusticorum cunas infester. Similiter *medicamenta frigida & humida intus assumpta*, item *laxantia atque interna lubricitate donata*, huc quoque manifeste spectant. Hæc enim non modo consimilem intemperiem inferunt, sed & tonum partium relaxant, easque lubricitate interna afficiunt, sanguinisque decursum per partes primo affectas nimis lubricum ac facilem reddunt.

Medicamenta interna frigida & humida, tum laxantia, & lubricantia.

Alimenta crassa & viscida.

2 *Alimenta nimis crassa, viscida & obstruentia* huc etiam faciunt, maxime quod equali distributioni sanguinis officiant. Huc referimus *carnes fumo induratas, multeque sale conditas*, similiter *pisces salsos, caseum* cujus vis fere generis liberalius comestum, *panem è furno recentur extractum, adhucque calentem*. Item *dulcia fere omnia saccharo condita*, nisi simul vinosa, aut incedentia & attenuantia fuerint. *Medicamenta etiam cujusvis generis obstruentia* huc pertinet, quibus ulterius addere licet *narcotica, & quæcunque torporem partibus inducunt propinata*.

Similia medicamenta, tum etiam narcotica.

Alimenta admodum calida, & aeria.

3 *Alimenta admodum calida deprædantia, aeria, corrosiva*, ut *vina vetera & fortiora*, præsertim jejuno stomacho hausta, *cibi multo pipere aliisve aromatibus conditi*, inter assumpta hujus affectus

causas

causas annumeranda. Hæc enim in tam tenera partium consistentia facile eliquant aut depascuntur spiritus insitos. Idem faciunt & *medicamenta immoderate calida & discussiva*, immo hæc longe potentius nocere possunt, quod & citius & validius spiritus insitos depopulentur, quam alimenta prædicta. Similia medicamenta.

III *De Motu, quiete, Actionibus, & Exercitiis.*

Motus & exercitia modum si excedant, corpus puelli in profusiorum sudorem solvunt, unaque spiritus insitos partum nonnisi til dissipant ac imminuunt, adeoque hac ratione possunt ad hunc morbum invehendum conspirare; licet rarissime contingere putemus, pueros hinc affectum, de quo agimus, incurrere. At defectus motus & exercitiorum frequentissime atque efficacissime facit ad hunc morbum producendum. Etenim spinalis medulla nervique inde orti, cæteræque partes primo affectæ, motui atque exercitiis maxime inserviunt. Torpor ergo & segnities istarum partium facit, ut neque satis foveatur earum calor insitus, neque is stimuletur, neque intemperies frigida obrepens arceatur, neque humiditates excrementitiæ & superfluæ per debitam transpirationem excutiantur, quin effœminata quadam mollitie, laxitate, & interna lubricitate eas affici permittit, unde arteriæ quoque ad eas distributæ parum irritantur, ignavos pulsus edunt, neque partes turgidulas

Excessus motus possibilis sed rarior causa.

Defectus motus & exercitiorum frequentissima causa.

turgidulas reddunt, aſt flaccidas & ſubſidentes relinquunt. Quibus de cauſſis circuitus ſanguinis tardus, & imminutus redditur, nimiſque quam par eſt lubricus, tum calor vitalis debilis neceſſario producitur. Quę omnia ſatis evincunt hanc eſſe admodum efficacem hujus affectus cauſſam.

IV *De Somno & Vigliis.*

Somnus & vigilia eodem ſe modo habent ad hunc affectum provehendum quo quies & motus.

Concedimus *Somnum* tum *frequentiorem* tum *productiorem* pueris quam viris deberi. Si tamen is vel in pueritia modum excedat, eodem res redit ac in deſectu excitii ac motus. Somnus enim quies quædam eſt & privatio vigiliarum ſive exercitii ſenſuum στέρησίς τις ὁ ὕπνος τῆς ἐγρηγόρσοιος: Vigiliæ autem in ipſo ſenſuum exercitio conſiſtunt, teſte Ariſt. de Somno & Vigil. Quare quæ ex deſectu motus & exercitii oriri mala deſcripſimus, eadem quoque ex *ſomno nimio* contingere neceſſe eſt. E contra *immoderatæ vigiliæ* in tam tenella ætate valde quoque noxiæ ſunt. Nam non modo alimentorum coctionem impediunt, aſt inſuper acrimoniam quandam ſanguini inurunt, diſſipantque adeo principia conſtitutionis inſitę partium primo affectarum, & inſitorum ſpiritum deſectum facile invehunt.

V *De excretis & retentis præter naturam.*

Cauſſæ internæ morborum ſorte non incommode ad hunc titulum omnes reduci

duci possent. Etenim quælibet contenta in corpore præternaturaliter alterata, quatenus sunt præternaturalia, suam ablationem indicant, & inter præternaturaliter retenta excernenda eatenus reputentur. At vero concedimus rectius omnes *causas internas* in duo genera distingui posse; quorum alterum continet *retenta & excreta præter naturam*, alterum contenta in *corpore præter naturam alterata*. Nam hæc posteriora non tantum *per excretionem* tolli, sed & *per alterationem* ad convenientem naturæ modum reduci possunt. Ut ut sit, magna est affinitas inter humores *alteratione viciatos*, & *excrementitios retentos*. Etenim tot sunt in corpore, tamque varii excretionis modi, ut vix humor ullus per alterationem productus fingi possit, qui non facultatem secretricem & excretricem alicujus visceris, aliusve partis proprie respiciat, & ab ea secernendus & evacuandus destinetur. Ideoque, licet errores coctionis primæ vix corrigantur in secunda aut tertia *per alterationem*; *per motum tamen localem*, sive *excretionem* alicubi in corpore factam, separatis partibus inutilibus, iisque rejectis, emendari possunt. Similiter alterata aliquo modo præter naturam massa sanguinis, aut humore quovis inquinata, materia peccans, quæ alias per alterationē domari nō potest, excretione forte ab aliqua parte aut viscere facta (nisi una facultas ejus secretrix aut expultrix impedita fuerit) brevi exterminatur. Magni igitur momenti

Errores primæ coctionis licet vix corrigantur in secunda aut tertia per alterationem, possunt tamen per motum localem corrigi.

nenti sit oportet medicum scire, qui humores in specie in quovis morbo dominentur, & per quas vias determinatas ex naturæ istituto proprie excernendi sint.

Plures sunt species excretorum quam vulgo statui solet.

Etenim tot sunt forte *excretorum species infimæ*, quot sunt *distincta Parenchymata aliæque partes ad ejusmodi munus in corpore destinatæ*. Credibile namque est, aliud excernere *Hepar*, aliud *Renes*, aliud *Pancreas*, aliud *Lienem*, aliud *Ventriculum*, & *Intestina*, aliud *Pulmones*, aliud *Cerebrum*, aliud *Testiculos*, *uterum*, *Renes succenturiatos*, *Thymum*, *Glandulas Laryngis*, *Gutturis*, & *Facium*, aliud *Cuticulam*, & *Cutim*. Siquidem vix admittendum videtur, naturam sibi fabricasse diversæ speciei organa, diversis sive uti ad unum idemque munus obeundum. Quando ergo contingit cujusvis dictarum partium excretionem cohiberi, peculiaris quædam impuritas inde in massam sanguinis redundabit; adeoque tot erunt præter naturam retentorum differentiæ, quot sunt genera partium excretioni speciali inservientium; & similiter tot erunt genera vitiosæ excretionis sive nimiæ, sive imminutæ, sive depravatæ, quot sunt diversæ viæ per quas excretio fiat.

Singulæ exerxetorum species nondum nobis sunt satis notæ & perspectæ.

Si quis quærat an singula excretorum genera nobis sint satis nota & perspecta; Respondemus, desiderari adhuc exactam notitiam specialis humoris per *vas novum Pancreatis* excernendi; deinde quid excernant *Renes succenturiati*, quid *Thymus*, quid *Glandulæ Laryngis*, immo forte vix dum satis constat quid rejiciat *Lien*. Ob hanc ergo causam, inter alias, visum est

ab

ab ulteriori aut accuratiori disquisitione de retentis & excretis sive in ordine ad partes viasque quas spectant, sive in ordine ad præsentem affectum, hic supersedere, potiusque insistere quadripartitæ Galeni humorum divisioni in *bilem, pituitam, sanguinem & melancholiam*, addita solummodo *transpiratione indebita, & sudore*. Licet enim dubitemus, an hæc divisio deducat humores ad species infimas, quod (ut supra notavimus) evidenter plures quam quatuor partes sint specie distinctæ humorum excretioni dicatæ; eum tamen hæc divisio humorum non modo omnibus medicis elasticis arrideat, sed & in se omnino utilis sit, & saltem reducat humores ad certa capita seu genera (ut ut forte quodlibet genus plures sub se species complectatur) ei impræsentiarum insistere decrevimus; eoque magis, quod optime sub generali notione conjungat & complectatur tum alterata præter naturam intus contenta, tum excernenda nondum excreta, eoque respectu levaverit ex parte onus nostrum, opusque contraxerit. Siquidem dum hoc modo procedimus, non opus erit aliud peculiare caput instituere de istis hujus morbi causis, videlicet de contentis præter naturam alteratis, quandoquidem sub hoc titulo, ut diximus, comprehendantur.

Causas ergo *internas* hujus morbi (sive sint humores excrementitii retenti, sive alteratione vitiati) reducibus vel ad *bilem*, vel *melancholiam*, vel *pituitam & serosum humorem*, vel *indebitam transpirationem & sudorem*. Sanguis enim proprie dictus

Causæ internæ hujus morbi.

dictus vix reus in hoc affectu deprehenditur.

Object. Object. *Objicias Practicos in hoc affectu fere semper venæ sectionem in concha Aurium præscribere, eamque evacuationem utilem observare, quod vix admitteretur, nisi aliquo modo sanguis hic peccaret.*

Resp. *Resp.* Respondemus valere hoc remedium non ratione universalis plenitudinis sanguinis, sed ratione peculiaris plenitudinis ipsius capitis. Supra enim monstravimus in hoc affectu sanguinem inæqualiter partibus corporis dispensari, & quidem diminute partibus primo affectis, capiti vero nimis copiose. Licet ergo non adsit universalis sanguinis redundantia in hoc morbo, respectu tamen particularis plenitudinis ipsius capitis, utiliter forte sectis illis extimis & minutis aurium venis particularis ejusmodi depletio instituitur. Dicas nos hoc responso plethoram universalem quidem declinare, ast particularem capitis (quæ non minus caussa morbifica censenda) plane concedere. Respondemus nos fuse supra explicuisse hoc vitium sanguinis, ubi egimus de inæquali distributione ejusdem, ad quem locum proprie spectat, cum sit causa essentiæ secundariæ non primariæ hujus morbi; ideoque hic non exspectanda est inanis ejusdem rei repetitio. Pergendum ergo jam est in proposita disquisitione de prædictis humoribus, tum transpiratione.

I Bilis (sive intelligas hoc nomine *humorem excrementitium in vesicula & poro biliario*, sive *calidiorem, sicciorem, acriorem, amaramque*

amaramque partem massæ sanguinis; sive *nidorosum illum humorem, qui oleum rancidum sapore suo refert, ex corrupto cibo præsertim pinguiori, adusto, vel salso, in ventriculo genitum & fluitantem*, sive *ichores quosvis acres & corrosivos è sanguine corrupto in corpore productos*) potest, si forte in corpore redundet aut ferociat ac dominetur, esse hujus morbi causa.

Etenim, licet videatur potius posse impugnare frigidam atque humidam intemperiem, quæ pars essentiæ primæ hujus morbi est; eo ipso tamen quod apta est nutritionem partium sive irritando nimium excretricem, sive attenuando alimentum, nonnihil impedire, & ipsam constitutionem insitam partium extenuare aut eliquare, spiritusque adeo insitos absumere & dissipare, inter causas hujus affectus recte statuetur. Notum enim est biliosos, fere macros, & extenuati habitus esse ob rationes modo assignatas. Quomodo Bilis possit esse hujus morbi causa.

II Melancholicus humor (sive intelligas *terrestriorem sanguinis portionem*; sive *salinam illam & tartaream materiam in & cum urina excretam, & in arenulas, ubi refrixerit urina, ut plurimum concrescentem*; sive *acidum humorem in ventriculum à Liene forsitan* (licet non per vas breve venosum, ut veteres crediderunt) refusum; sive *terrestres illas alimenti assumpti partes, quæ cum fæcibus alvi per sedem deponuntur*) quemvis horum intelligas, si redundet hic humor, neque debito modo expurgetur, culpari potest ut causa hujus affectus. Nam I. humor ille

qui

Quomodo melancholicus humor hujus morbi causa esse possit.

qui *terrestrior pars sanguinis* est, si excedat justam proportionem in massa sanguinis, eum minus aptum reddit ad nutriendas partes præsertim primo affectas. Partes enim primo affectæ nobilioris sunt texturæ quam parenchymata viscerum, aut osseum genus; ideoque supra monuimus parenchymata & ossa facilem admittere nutritionem, & per modum congestioni similem; verum illæ partes priores longe accurationem secretionem & operosiorem assimilationem postulant. Atque hinc est quod carnes viscerum animalium inter impuriora & crassiora alimenta recte reputentur; nimirum quod minus selecto sanguine, minusque ante unionem elaborato alantur. 2. *Salina* similiter, & *tartarea materia* nimium accumulata nutritioni inimica est, & potius dissipativa est ac depascens quam augmentationi favens. 3 *Humor acidus ventriculi* totus edax est ac famelicus, & forte ubi redundat ipsi sanguini consimilem deprædantem qualitatem facile impertiat. 4 Et ultimo *terrestriores alvi fæces* importune retentæ chylum inquinare possunt, eumque minus idoneum ad alendum reddere. Denique concedimus singula melancholiæ proposita genera superflue coacervata aut præternaturaliter retenta, non primo ac per se & directe ad hujus affectus productionem facere; indirecte tamen modoque proposito ad ejus generationem nonnihil posse contribuere.

3. Pituita (sive sumatur pro *humidore & frigidiore parte massæ sanguinis*; sive pro

pro *ſeroſa parte ejusdem*; ſive pro *lento humore ventriculi & inteſtinorum*; ſive pro *ſaliva & ſputo*; ſive pro *muco narium aut faucium*; ſive pro *peculiari humore, quem forte novum Pancreatis vas expurgare ſolet*) quomodolibet ſumatur, ſi retineatur ac in corpore redundet, magis directe hunc affectum reſpicit, ejuſque cauſa magis proprie & per ſe dici meretur. Quomodo Pituita hujus morbi cauſa eſſe poſſit. Eſt enim hic humor frigidus, humidus, lentus, craſſus, torpidus, parum ſpirituoſus, mollis, & interna lubricitate affectus; quæ omnia ad amuſſim quadrant cū eſſentia primaria & fecundaria hujus morbi propoſitis. Quocirca humor hic ſuperfluè accumulatus, cum in hujus mordi productionem univoce conſpiret, cauſſa propria & agens per ſe merito æſtimanda eſt.

Præter hos humores etiam *indebita tranſpiratio*, ut & *ſudor* ſive *nimius*, ſive *deficiens* inter cauſſas hujus affectus nonnunquam recenſeri poſſunt.

Etenim ſudor immoderatus, ut & nimia tranſpiratio, diſſipat vires, & una eliquat partes, imprimis externas in hoc morbo primario affectas, atque diſcuſſis ſpiritibus inſitis facile poſt ſe intemperiem frigidam relinquit. Sed & tranſpiratio alio modo inſuper, nimirum ubi nimis lubrica eſt, hunc affectum promovet. Requiritur enim ad juſtam caloris partium excitationem & conſervationem debita quædam lucta exhalationum inter tranſpirandum. Quæ ſi deficiat, calor actualis quoq; (qui ex partem ipſa hac lucta conſiſtit) valde debilis ac languidus evadit,

Quomodo ſudor excedens vel deficiens, ut & indebita tranſpiratio hujus morbi cauſa eſſe poſſit.

evadit, parteſque frigidæ intemperiei facile exponuntur. Sed de hac re ſuperius plura. E contra ſudor præter rationem cohibitus, ut & imminuta tranſpiratio, facile febrilem calorem accendit, adeoque vires inſitas frangit parteſque diſſolvit, eaſque frigidæ intemperiei poſtmodum facile obnoxias reddit.

Denique, ut reliqua verbo complectamur, humor quivis præter modum ac rationem excretus, colliquationem partium ſpirituumque inſitorum diſſipationem facile infert, adeoque corpus ad hunc affectum diſponit. Atque hæc dixiſſe ſufficiat de rebus non naturalibus cauſiſque morbi inde ortis.

Cap. XVII.

Morbi antecedanei, qui hujus morbi cauſæ eſſe poſſunt.

Morbi hi, reſpectu eſſentiæ propriæ, ſolo morborum nomine nuncupandi veniunt: attamen reſpectu hujus morbi, quem ut effectum poſt ſe relinquunt, cauſarum morbificarum rationem vere ſubeunt, atque inter cauſas hujus affectus accenſeri debent. Etſi vero plurimi horum (quod ad parentes, pertineant, adeoque nativam labem proli imprimant) ſuperius memorentur; ſuam nihilominus conſiderationem diverſo tamen

men respectu & ordine hic jure mirentur. Morbos hos reducimus ad tria genera seu capita.

I *Ad morbos huic affines seu ex parte congeneres.*

II *Ad morbos corpus extenuantes seu emaciantes.*

III *Ad morbos ignaviam & torporem partibus primo affectis inducentes.*

De I *genere.*

Morbos huic *affines* seu *congeneres* vocamus eos qui ex parte saltem consistunt in eadem natura cum essentia hujus morbi. Hujus generis sunt *intemperies quævis frigida, intemperies quævis humida*; item *quævis frigida & humida*. Nam pars primæ essentiæ hujus morbi includit intemperiem frigidam, ut & humidam, adeoque istæ intemperies cum hoc affectu ex parte conveniunt. Huc etiam spectant *cacochymia, pituitosa, melancholica & mixta*; *obstructio ab istiusmodi humoribus facta*; *cachexia*; *hydrops*. Imo huc etiam referre possumus, propter affinitatem, *morbos illos in quibus spiritus insiti, nonnihil absumuntur*; quippe pars essentiæ hujus morbi consistit in penuria eorundem spirituum; alias vero commodius referuntur ad genus secundum; similiter *morbi, in quibus partes primo affectæ torpore afficiuntur*, ratione affinitatis suæ huc possint pertinere, licet tertium genus morborum enumeratorũ magis proprie spectent. Porro *morbi, in quibus laxatur, & flaccesit tonus partium*, huc respiciunt; quippe qui partem

Qui morbi huic sint affines & congeneres.

tem hujus morbi includunt, eam videlicet, quæ consistit in laxitate, flacciditate, interna lubricitate & mollitie toni supra descriptis. Asserunt Philosophi Elementa, quæ in symbolicis, ut vocant, qualitatibus conveniunt, facile inter se transmutari; pari profecto ratione morbi, qui ex parte in eadē essentia conveniunt, facile reciprocum transitum ab uno ad alterum admittunt. Sic videmus Ephemeram, quæ in præternaturali calore cū putrida conventi, levi de causa in eandem degenerare. Notandum hic tamen, graviores morbos non ita prompte in leviores, atque leviores in graviores commutari. Præterea neque omnes morbi qui forte pariter de eadem essentia participant, æque facile inter se permutantur. Alii enim morbi promptius in alios, cum quibus ex parte conveniunt, quam alii transeunt, idque propter alias rationes præter dictam convenientiam. Ut ut sit, si intemperies frigida & sicca puello accideret, facile ea in frigidam & humidam laberetur, tum ob congruentiam utriusque morbi in frigiditate, tum ob peculiarem tenellæ ætatis versus humiditatem inclinationem. Etenim ob frigiditatem coctiones imperfectæ fierent, hincque cruditates seu crudæ humiditates accumularentur, quas facile & proxime in tam tenera ætate sequeretur intemperies humida. Porro intemperies frigida & humida, ratione frigiditatis tardiorem pulsum, ratione humiditatis magis lubricum minusque obluctantem efficeret, unde imminuto vitali calore, paullatim spiritibus insitis tor-

por

por obreperet; denique, ob labilem illam retentionem ortam ab interna partium lubricitate, & ob debilem coctionem, spiritus insiti partium primo affectarum sensim quoque minuerentur, adeoque gradatim hoc modo introducetur integra hujus morbi essentia. Sed de hoc genere hæc dicta sufficiunt.

De II *Genere.*

Morbi plurimi emaciantes & quovis modo corpus extenuantes, licet forte ipsi nullo modo de essentia hujus morbi (quemadmodum morbi primi generis) participent, corpus tamen ad hujus morbi invasionem disponere, eundemque post se relinquere queunt. Etenim omnes morbi graviores & diuturniores, tractu temporis, atterunt & extenuant habitum partium, spiritus insitos absumunt, tonumque partium solvunt; atque hæc attritio, & extenuatio partium potissimum respicit partes in hoc morbo primo affectas. Nam, ut supra asseruimus, parenchymata viscerum non ita facile subjiciuntur colliquationi aut dissipationi: Quin in cadaveribus eorum, qui à longis morbis extincti sunt, dissectis, viscera nihilo ferme minora, immo forte majora frequenter reperiuntur, quando externæ partes (quæ in hoc morbo solent esse primo affectæ) vi morbi plurimum emaciatæ sunt. Ideoque cum morbi extenuantes vim suam maxime in partes primo affectas exerant, facile contingit, ut ii in pueris ad morbum hunc invehendum faciant

ant. Absumptis quippe magna ex parte spiritibus insitis partium primo affectarum, vix fieri potest, quin consequatur intemperies frgidia, quam ob cruditatem excipit (ut supra monuimus) humida, simulque torpor; cum calor, activitas, & vigor partium maxime dependeant à spiritum insitorum copia. Atque ita exhibuimus modum, quo hic morbus insistit vestigiis aliorum præcedentium hujus generis; quod jam ulterius in tres classes subdistinguimus.

Tria genera morborum corpus extenuantium.

Prima comprehendit *morbos per insensiles vias habitum partium extenuantes & absumentes.* Huc spectant *febres fere omnes*, præsertim *Hectica, Tabes, Ulcus Pulmonum cum febre putrida:* Item *febris quælibet continua violentior, febris ardens, maligna, pestilentialis, Pleuritis, Peripneumonia*; Item *variolæ & morbilli, ubi gravius afflixerint.* Similiter *febres, intermittentes diuturniores:* Denique *morbi omnes chronici graviterque affligentes* idem præstant. Secunda Classis continet *morbos per vias manifestas colliquantes & solidam substantiam partium evacuantes.* Huc referas *immoderatam vomitionem, lienteriam, dysenteriam, diarrhœam, fluxum hepaticum, diabetem, hæmorrhagiam quamlibet profusiorem, sudorem nimium, ulcus in quavis parte magnum, profundum, multamque materiam indies excernens.* Hi enim affectus omnes evidenter habitū partium extenuant, & ad hunc morbum introducendum faciunt.

Tertia tandem complectitur *morbos, qui quidem non directe, ast ex consequentia quadam*

quadam ſubſtantiam partium dicuntur extenuare; ut *omnes morbi impedientes alimentorum vel coctionem vel diſtributionem*. Siquidem hi partium à vitali calore continue depaſtarum reparationem prohibent. Hinc morbi varii Ventriculi, Inteſtinorum, Meſenterii, Pancreatis, Lienis, Hepatis immo morbi in ore, faucibus, vel gula impedientes tantum aſſumptionem aut deglutitionem cibi inter cauſas hujus morbi hoc reſpectu annumerentur. Ut *intemperies, tumor, nauſea appetitus dejectus ventriculi*; item *intemperies, tumor, obſtructio & ſcirrhus meſenterii, pancreatis, hepatis, lienis, ſimileſve affectus alicujus dictarum partium*, quibus debita alimentorum coctio vel diſtributio quovis modo fruſtratur, parteſque inde defectu alimenti extenuantur.

De III *Genere.*

Morbi torporem partibus primo affectis inducentes, peculiari quoque jure ad hujus affectus productionem conſpirant. Etenim calor inſitus iſtarum partium nonnihil ab illis ſopitur, minuſque efficax redditur; unde intemperies frigida ſenſim obrepit, quam & humida (ut modo dictum) facile conſequitur, mollitieſque etiam, tum interna lubricitas. Adhæc pulſus arteriarum ad iſtas partes delatarum paullatim enervatur, diſtributio ſanguinis caloriſque vitalis minuitur, partes ipſæ parcius aluntur, tandemque penuria ſpirituum inſitorum ſupervenit; ut ab hac etiam radice, aliquandiu permanente, eſſentia hu-

Pueri rariſſime à ſoporoſis affectibus in hunc morbum incidunt, & cur.

morbi demum pullulare queat. *Apoplexia, Paralyſis, Lethargus, Carus, ſimileſque affectus* huc maxime ſpectare videntur. Rariſſime tamen pueri his de cauſis in affectum hunc incidunt, atque adeo raro, ut nondum nobis obſervare contigerit hunc morbum ab iſtiuſmodi affectibus originem duxiſſe. Siquis hujus raritatis rationem exigat, dicimus puerorum corpora, ob raritatem ac permeabilitatem, rarius iſtis affectibus ſubjici; ubi vero forte iis corripiuntur, morbus ipſe non conſtitutionem naturalem aut vitalem, aſt animalem primo impetit; adeoque animalis facultatis deprivationem aliquamdiu invehit, priuſquam naturalem vel vitalem interturbet. Torpor vero, de quo hic loquimur, ad conſtitutionem naturalem pertinet, in quam non ſtatim transferri poteſt. Porro, ob tranſpirationis facilitatem in corporibus puerorum, ſi forte iſti affectus mitius ea invadant, facile ac cito excutiuntur; ſin ſævius irruant, æque ferme cito, ob conſtitutionis debilitatem, interimunt; quippe qui natura ſua graviſſimi ſint affectus. Utrovis autem modo accidant, vix tamdiu protrahuntur, ut ſatis efficaciter torporem hunc inſitæ partium conſtitutioni imprimant. Concedimus tamen hos affectus, ſi forte diutius cum vita perſiſtant, poſſe, tractu temporis, conſtitutionem inſitam eo torpore afficere, ut morbus hic inde ſubſequatur, licet nondum id noſtra obſervatione ſit compertum.

Cæterum morbi, qui frequentius hunc

torpo-

torporem constitutioni insitæ partium primo affectarum invehunt, sunt *illi ipsi, qui pueros quovis modo ab actionibus & exercitiis debitis, præsertim ab usu pedum impediunt*; ut *luxatio, aut fractura, vulnusve aliquod pedis, cruris, femoris, spinæ dorsi*; item *tumores aut dolores, similesve affectus*, sive ii affligant partes jam dictas, sive alias, modo id efficiant, ut pueri inde ambulare, aut pedibus insistentes ludere, masculisve exercitiis uti recusent. Hinc enim torpet paullatim vigor calorque externarum partium, quæ in hoc morbo primo sunt affectæ, atque inde catenatim succedunt cæteræ partes essentiæ hujus affectus, quemadmodum superius declaravimus.

Qui morbi sint, qui frequentius solent torporem huic morbo proprium invehere.

Absolvimus jam enumerationem *causarum hujus affectus*, & ad *differentias* ejusdem proxime foret procedendum, nisi hic se interponerent Difficultates duæ, quæ proprie resultant ex caussarum propositarum ulteriori consideratione. Etenim causæ modo allatæ videntur omnes tum pueris, tum adultis communes; unde jure quæri possit. Qui fiat quod ætate grandiores non æque ac pueri hoc modo infestentur? Deinde cum causæ propositæ fere omnes communes sint cum Angliæ, tum multis aliis regionibus; & earum nonnullæ omnibus terrarum plagis, Hinc insuper quæri possit, cur in Anglia morbus hic frequentior quam in aliis regionibus occurrat? Has quæstiones ordine examinabimus, nostrumque de his judicium in medium proferemus.

CAP. XVIII.

Quæstio prior.

CUr ætate grandiores non æque ac pueri huic morbo sint obnoxii? Quæstionis termini videntur insinuare affectum hunc posse quidem, licet admodum raro, adultis etiam accidere: sed hujus dubii solutionem in calcem præsentis determinationis reservamus. Interea primo opponendæ, & ex adverso pensitandæ sunt constitutiones seu dispositiones tum puerorum huic morbo maxime obnoxiorum, tum grandiorum rarius ei obnoxiorum; necnon juvenum, virorum, & senum, idque in ordine & relatione ad hunc affectum. Quæstio enim ipsa non absoluta sed comparativa est, primaque ideo ratio determinationis ejusdem petenda est ex mutua collatione diversarum dispositionum dictorum subjectorum, quatenus eæ aut facilius aut difficilius impressiones propositarum causarum admittunt. Deinde etiam expendendæ veniunt accidentales quædam peculiaresque conditiones juniorum puerorum sub certa aliqua ætate, ob quas sub una ætate magis, sub alia minus huic affectui redduntur obnoxii.

Quo

Quo priorem collationem felicius expediamus, ex adverso ſiſtemus, hinc quidem pueros ſemeſtres, hornotinos bimulos, trimulos, quadrimulos; illinc vero quinquennes, & ultra ætate provectos, juvenes, viros, tum ſenes; illoſque generali termino juniorum, hos ſeniorum ſeu ætate grandiorum complectemur, niſi forte res ulteriorem grandiorum diſtinctionem poſtulaverit. Hiſce ergo præmiſſis collationem inſtitutam aggredimur.

Diſtinctio hominum reſpectu ætatis injuniores & ſeniores.

I. Juniores pueri frigidiori temperamento prædi ti ſunt ſenioribus. Calor enim temperamenti à primo ortu ad virilem uſque ætatem intenditur, quo tempore in ſtatu quodam conſiſtit longe intenſior illo puerorum; verum hinc ſenſim declinat ad extremam uſque ſenectutem, paulloque ante hunc extremum terminum ad gradum iſtum, quo in puericia occepit, relabitur; ante vero hunc terminum ſupremæ ſenectutis, temperamentum ipſorum ſenum calidius eſt illo puerorum. Licet enim revera juniores pueri uberiore calore inſito, ſpirituque inſito abundent, non tamen propterea neceſſe eſt calidiore temperamento fruantur. Siquidem ad conſtitutionem temperamenti calidi, præter ſpiritus inſitos & calorem inſitum, plura requiruntur concurrentia; verbi gratia, amplior portio humoris bilioſi, unaque vel maxume vitalis facultatis validior nixus, nempe tum in pulſibus, tum in ſpiritibus vitalibus in circuitu ſuo. Cum ergo juniores pueri frigidiores ſint,

Juniores pueri frigidiori temperamento prædi ti ſunt, quam ſeniores, & cur.

Plura requiruntur ad conſtitutionem temperamenti calidi, quam ſpiritus inſiti, & calor inſitus.

haud mirum, si morbis frigidis, qualis hic est, magis sint obnoxii. Quæ ad senes attinet, præsertim in provectiore senectute; concedimus illos quoque & frigidiores esse, & frigidis morbis levi de caussa subjici. Quapropter, hinc, videlicet à frigiditate temperamenti, nullam differentiam inter pueros juniores & hosce senes, respectu aptitudinis ad hunc morbum incurrendum, deducimus.

2 Juniores pueri humidiores sunt ætate grandioribus. Senescere enim, si sano sensu sumatur, est siccescere. Quamvis enim senes suo modo etiam humidis affectibus, ut catarrhis, obstructionibus, cachexiæ, hydropi, paralysi, lethargo, laxitati nervorum tremorique & similibus malis obnoxii sint, re ipsa tamen nonnulla est differentia inter intemperiem humidam, quæ pueris, & illam quæ senibus contingit. Nam in pueris adventitia humiditas intemperiem constituens, non tantum intimam solidarum partium substantiam perfundit, sed & eidem penitus incorporatur: at in senibus solida partium substantia, vel tum quando intemperie humida imbuitur, non videtur exuere suam terrestreitatem, sed quodammodo componi ex natura sua terrestri, & succo quodam ad ventitio humido crudoque, aut etiam excrementitio, vel in poros, vel in substantiam partium imbibito, non tamen satis incorporato sive unito. Quemadmodum enim arena, multa aqua perfusa, totam terrestrem suam substantiam utcunq; nonnihil madidam sibi retinet;

Differt revera in temperies humida quæ pueris, ab illa quæ senibus contingit; & quomodo.

net; ita & senum corpora, utut crudis vel excrementitiis humoribus madescãt, non deponunt tamen terrenam illam substantiam, sive partem illam, quæ capitis mortui nomine à chymicis designatur, quam sibi in dies à primo ortu accumularũt. Est ergo hæc senum intemperies spuria, non genuina; cruda, non in substantiam partium plene digesta. Ideoque licet concedamus senes etiam posse suo modo, quo dictum est, laborare intemperie humida; liquet tamen una ex iis quę diximus, quantum discrimnis intersit inter hanc senũ & illam juniorum puerorum. Porro quod hæc humida senum intemperies minus sit præsenti morbo consormis, quam illa puerorum, ex eo manifestum esse potest, quod in senibus non eam molliriem ac teneritudinem partium, quam in pueris deprehendimus, producat: neque eos eque disponat ad dissipationem aut colliquationem spirituum insitorum, aut lubricam permeationem sive sanguinis sive exhalationum, quę in hoc affectu supponuntur; quin potius obstructionibus cęteris que malis supra recitatis, eos obnoxios reddit. Facta ergo collatione inter intemperiem humidam, quę pueris junioribus, & illam quę senes afficere solet, non levis resultat ratio, cur senes in hunc affectum saltem ęgrius quam pueri incidant.

3 Pueri juniores, licet spiritibus insitis naturaliter abundent, ob corporis tamen perspirabilitatem, ob laxitatem & teneritudinem (ut dictum) minusque firmam partium cohęrentiam, facilius quam se-

niores dessipationi & colliquationi spirituum insitorum subjiciuntur; & per consequens leviori de caussa in eorundem inopiam incidunt.

4 Pueri juniores ob eandem infirmam partium consistentiam, torpori etiam redduntur magis obnoxii quam grandiores. Etenim ad vigorem & activitatem partium, præter justam spirituum copiam requiritur imprimis firmitas earum cohærentiæ & consistentiæ.

5 De Tono partium non opus est ut quidquam addamus; cum ejus debilitatem in junioribus pueris præ grandioribus toties jam insinuaverimus, & cuivis liceat observare, ut tonus crescente ætate magis magisque firmetur.

6 Quod ac diminutam distributionem sanguinis ad partes primo affectas attinet, (quam notabilem esse partem essentiæ hujus morbi secundariæ supra probavimus) dicimus, grandiores ætate pueros tum validioribus tum frequentioribus exercitiis uti, quam juniores; & propterea in illis fortius proritari pulsus externarum partium, nempe primo affectarum, caloremque majorem in iis excitari & foveri, ideoque frigidam intemperiem potentius ab iis arceri.

7 Quod ad vitia organica, auctam nempe magnitudinem Capitis, Hepatis, vasorumque eorundē similesque affectus attinet, notum est proportionem partium in grandioribus magis esse confirmatam, & stabilem in junioribus è contra facilius moveri atque alterari; cessante vero accretione, non nisi gravissimis de caussis eam

eam amplidis immutari. Ut vel hinc eis am juniores pueri in hunc morbum maxime proni sint.

Concludamus ergo hanc partem quæstionis, juniores pueros, respectu peculiariū suarum constitutionū & dispositionum naturalium esse magis huic malo obnoxios quam grandiores, eoque magis, quo juniores. Juniores pueri quo respectu sint magis huic morbo obnoxii quam ætate grandiores.

Verum non prætereunda, quę hic occurrit, objectio, quę opportune quoque occasionem submnistrat transeundi ad alteram collationem, videlicet juniorum puerorum inter se. Si enim juniores pueri (ut ex dictis liquet) magis sint ex naturali sua constitutione & dispositione proclives ad hunc morbum, & quo juniores, eo magis; qui fit, quod pueri rarius ante semestre ętatē & paullo ultra in hunc affectum incidant? Etenim, secundum sententiam dictam, pueri mox à partu viderentur huic morbo maxime obnoxii; quod tamen experientia non comprobat, quin potius contra testatur, pueros nempe ante nonum ętatis mensem vix aut quam rarissime in hunc affectum incurrere. Hic ergo aggredi nobis opus est alteram collationem puerorum juniorum inter se. Siquidem fieri non potest, ut ita constanter morbus hic pueris ad eundē maxime dispositis parceret, minusque dispositos frequentissime invaderet; nisi aliquid interveniret discriminis, quod illas ætates, deversimode respicit, quodque morbi invasionem ante completum ferme primum ætatis annum remoratur, non obstante propensitate naturę, & tamen postea, vel non omnino, vel non adeo *Object.*

potenter pueros ab hoc morbo tueatur. Hic ergo investiganda est ipsa ratio discriminis inter has ætates. Quam ut promptius assequamur, non erit forte absre obiter annotare specialius, quæ ætates frequentius, quæ rarius, duce experientia, hoc morbo affici observentur.

Quæ ætas juniorum rarius, quæ frequentius huic affectui obnoxia.

Asserimus ergo morbi hunc rarissime infantes mox à partu, aut ante semestrem ætatem (immo forte ante nonum menſem) corripere. Ab illo tempore vero paullatim incipere frequentius indies grassari usque nempe ad primum ætatis annum completum cum dimidio. Inde frequentiam, quasi exulem suam attingere, & in eadem quasi consistere ad finem usque secundi ætatis anni cum dimidio; ita ut tempus frequenter invasionis sit annus ille integer, qui mox primum sesquiannum à partu sequitur. Exacto secundo anno cum dimidio morbus indies minus frequenter invadere incipit, ob rationes scilicet supra allatas. Verum rationes, ob quas Infantes recens nati rarissime, & ob quas à nono mense ad sesquiannum frequentius, eurque postea per integrum annum frequentissime afficiantur, hic ordine exigendæ sunt.

Cur Infantes recens nati rarissime afficiantur.

I Rationes, ob quas pueri *recens nati* rarissime afficiuntur, hæ possunt assignari.

Prima est, *quod fœtus in utero ab æquali calore & amplexu uteri strenue muniatur adversus hunc morbum*, ut supra declaravimus; &, per consequens, idem in lucem recens editus aliquid munimenti conaracti ab æquali illo uteri fotu aliquandiu

retineat,

retineat, ut ſtatim à partu non ita facile in eum incidat.

Secunda eſt, *quod obſtetrices & nutrices ea arte recens natos tractent, ut eorum conditio quam proxime accedat ad illam quam nuper in utero habuerant.* Uno enim continuo involucro totum corpus, excepto capite, undique involvunt: unde partes corporis exteriores & primo affectæ in hoc morbo ab injuriis externi frigoris muniuntur, calidæque exhalationes à quacunque parte corporis erumpentes iſto involucro forte duplicato aut triplicato, faſciiſque circumducto, ex æquo retinentur, omnibuſque partibus corporis æqualiter communicantur, ut quaſi in communi hypocauſto æquali calore foveantur. Cum ergo prima pars eſſentiæ hujus morbi in inæquali frigida intemperie conſiſtat, non mirum ſi munimenta hæc corporis eam ad tempus ſaltem avertant.

Tertia ratio forte eſſe poteſt *ſalubritas Diætæ.* Lac enim muliebre tam tenellæ ætati ſaluberrimum alimentum eſt, præſertim è mammis exſuctum. Eſt quippe cibus ſimplex & uniformis, multum alens, coctu facilis, & conſtitutioni infantum amicus & familiaris. Quamdiu ergo hoc alimento commode aluntur, pauciores diætæ errores incurrunt, minuſque huic morbo redduntur obnoxii. Notandum tamen, ſi lac nutricis non ſit in ſe probum, vel alias non apte reſpondeat conſtitutioni infantis, rationem hanc locum non habere. Quando igitur nutrix gravida eſt, aut immoderatius veneri

Lac muliebre ſaluberrimum infantibus alimentum.

Exceptis certis caſibus.

veneri dedita, quando ea cacochymica, valetudinaria, aut alias ægra, quando ea temulentiæ aut crapulæ aut insalubri diætæ dedita est tutius est, nisi commodior nutrix in promptu sit, ablactare infantulum.

Quarta & ultima ratio est, *tarditas motus hujus morbi in sua prima invasione.* Adeo enim lente sensimque obrepit, ut ad plures menses vix sui manifesta vestigia prodat, nisi forte à vehementissimis causis ejus progressus promaveatur, ut à morbo violentiore aut colliquante, seu antecedente, seu superveniente. Cum ergo tam lente morbus hic natura sua primas radices agat, cumque pueri, ut prius monstravimus, nascantur fere ab eodem immunes: vix contingit eum ante sextum mensem, immo raro ante nonum, evidenter in actum prorumpere. Atque adeo rationes reddidimus, ob quas infantes modo nati, non obstante constitutionis debilitate, ad plures menses ab hoc affectu defendantur.

Cur Infantes à 9 mense ad sesqui annum ætatis indies hoc morbo frequentius infestentur.

II Causæ, cur pueri *à nono mense ad sesquiannum ætatis* indies hoc morbo frequentius infestentur, sunt hæ.

1. *Quod causa prima, modo proposita, in recens-natis hunc affectum arcens indies remittat & ante nonum mensem plane evanescat.* 2. Similiter *causa propulsiva secunda supra data ante hanc ætatem indies inefficacior redditur.* Etenim infantum manus, post menses aliquot, si non prius, à communi involucro liberari solent; & forte ante semestrem ætatem pedes quoque interdiu, licet noctu iterum fascientur.

Interdiu

Interdiu ergo saltem membra externa communi hoc fomentu destituuntur. Sæpe etiam errant nutrices, dum infantes debiliores præmature vestibus induunt. Perperam quippe numero mensium tempus vestiendi definiunt, cum potius ex activitate ac robore motus pedum & manuum id æstimare deberent. Ubi enim motus & exercitium istarum partium plus conferat ad excitandum & fovendum earum calorem, pulsusque promovendos, quam fotus fasciarum, proculdubio maturum tum tempus est pueros è fasciis liberandi. Poro 3 *Post nonum mensem pueri fere variæ sorbitiones, præter lac mammarum, admittunt, & ex varia diæta facilius in victus errores labuntur.* 4 *Tarditas motus hujus morbi non impedit quin post nonum mensem in actum prorumpat.* Etenim motus, præ tarditate imperceptibilis, tractu aliquot mensium, manifesta sua vestigia profert. Ultimo dentitionis mala huc etiam non parum contribuunt. Incipit enim dentitio fere circa septimum mensem, variaque symptomata secum adfert, quæ facile tenella corpora ad hunc affectum disponant

Error nutricum, quæ debiliores infantes præmature vestibus induunt, notatur.

Quando fasciæ infantibus sint exuvendæ.

III Caussa cur morbus hic *post sesquiannum ætatis* inter cunas frequentissime grassetur, sunt;

Cur morbus hic frequentissime pueros post sesqui annum ætatis usque ad secundum cum dimidio affligat.

1 *Quod recitata prius causæ propellentes hunc affectum in junioribus, sub hac ætate plane sublatæ sint, vel saltem inefficaciter admodum agant.*

2 *Dentitionis mala*, licet, quoad symptomata immediata quæ proferunt

sorte

forte ante hoc tempus evanuerint; ut plurimum tamen in partibus primo affectis dispositionem quandam post se relinquunt, quæ clam se in illis occultans, post aliquot menses hunc morbum proferat. Eruptio vero dentium caninorum sive ocularium dictorum huc maxime spectat; cum hi paullo ante sesquiannum ætatis erumpant, eorumque eruptio laboriosissima esse soleat.

3 *Accidentia quæ eveniunt caussa ablactationis* huc etiam faciunt. Etenim tempus solenne ablactationis non longe antecedit sesquiannum ætatis: atque isto tempore magna mutatio circa diætam pueris contingit, quam ægre ferre solent. Quippe hinc irascuntur, plorant, cibum præ animi motu aversantur, haud facile placantur, neque satis placide dormiunt. Quæ omnia præviam saltem dispositionem ad hunc morbum (licet forte multum postea actuandam) partibus primo affectis facile imprimunt.

Atque ita tandem percurrimus hanc secundam etiam collationem, juniorum nempe puerorum inter se, caussasque breviter explicuimus, cur isti pueri sub alia ætate magis, sub alia minus, huic malo exponantur.

An ætate grandiores unquam in hunc affectum incidant? Affirmativa asseritur sub certis limitationibus.

Restat adhuc tertia pars quæstionis, quam nos reservasse diximus in calcem hujus disputationis examinandam. viz. *An forte ætate grandiores aliquando (etsi raviſſime) in hunc affectum incidant?*

Dicimus primo, Quod ad illam partem essentiæ hujus morbi attinet, quæ consistit in intemperie humida, aliqualem

differentiam

differentiam exspectandam esse inter illam intemperiem in junioribus pueris, & grandioribus, juvenibus, viris, maxime senibus. Etenim eadem differentia, quam supra posuimus inter intemperiem humidam juniorum puerorum & senum, secundum magis & minus observari potest inter ætates intermedias, magisque ideo cocta ab genuina erit humiditas juniorum, minus seniorum; ut ex eodem ratiocinio, mutatis mutandis, obvium est colligere.

Dicimus 2. Quod ad vitia organica attinet, necessario vasta occurrit differentia inter hujusmodi morbos pueris & grandioribus ætate forte incidentes. Oslium enim tumores in carpis & talis, ut & illa pectoris præruminatio, nec non capitis ac pectoris improportionate aucta moles, aut multo minus eminenter deprehendentur, vel plane aberunt, præsertim in adultis. Etenim crescente ætate partium figura & proportio indies confirmatior, stabilior & immobilior redditur; neque facile continget unam partem præ altera tam insigniter per veram augmentationem excrescere.

Dicimus 3. Exceptis duabus conditionibus præmissis, idque eo modo, quo proponuntur, posse hunc affectum secundum omnes ejus essentiæ partes (licet admodum raro, & non nisi gravissimis de causis) grandioribus pueris, juvenibus, viris, & senibus accidere. Nam 1. Intemperies frigida procul omni dubio iis contingere potest, licet non æque facile ac pueruli. 2. Intemperies humida

similiter

similiter, sed sub limitatione modo proposita. 3 Penuria spirituum infitorum, licet non nisi potentissimis de causis, iis etiam incidere potest. Etenim morbi longi simulque colliquantes habitum partium, aut eum in auras dissipantes, aut longiori inedia & atrophia conficientes, spirituum infitorum inopiam necessario post se reliquunt. Videmus partes externas etiam in adultis ab ejusmodi causis extenuatas & absumptas enervari, languescere, flaccescere, & omnino sufficienti spiritualitate destitui. Concedimus tamen in adultis evicto morbo emaciante, ob vigorem pulsuum cito reparari spiritus absumptos, hujusque morbi posita rudimenta intra unam vel alteram septimanam eradicari, & per consequens rarissime ea in adultis reperiri. Interim si forte contingat, ut absumptis spiritibus insitis impedimentum aliquod interveniat, quod reparationem, fieri potest, hunc morbum, modo quo dictum est, succrescere. Torpor vero spirituum inopiam necessario consequitur. 4 Partes essentiæ secundariæ cum multum a vitiis primariis dependeant, ubi hæc diutius perseverant (exceptis tantum vitiis organicis) suo ordine supervenire queunt. Adeo ut non dubitemus quin morbus hic datis restrictionibus modo propositis & gravissimis urgentibus causis iisque diu persistentibus, cuivis ætati ultra pueritiam contingere possit.

Apud Anglos morbus quidam senibus aliisq; extenuatis debilitatis nonnunquam

accidit

accidit, qui huic morbo admodum similis est, si non ejusdem plane speciei, salvis tantummodo exceptionibus prædictis, vernacula lingua ita affectos *bedridden*, quasi dicas *lecto affixos* vocamus. Hi neque de dolore, neque alio alicujus momenti malo queruntur, nisi quod eorum partes motui inservientes, illæ ipsæ nempe, quas primo affectas in hoc morbo vocamus, extreme sint debiles, molles, laxæ, flaccidę, enervatæ, ita, ut vix sufficiant corporis oneri sustinendo, cum interim eę neque sint paralyticę, neque sensu aut motu penitus destituantur. Dum hi in lecto recumbunt, alacriter quasi sani loquuntur, surgere autem vel incedere neque possunt neque cupiunt. Non minus enim averſantur motum, quam adeum obeundum inepti sunt. Edunt, bibunt, dormiunt, ferme instar sanorum. Videtur morbus hic multum saltem affinitatis habere (si non sit ejusdem familiæ) cum hoc affectu puerorum. Historia morbi adultis apud nos interdum contingentis huic puerili morbo multum adsimilis.

Porro testatur aliquis nostrum se sub manibus habuisse eurandum virum generosum 30 circiter annos natum, qui ex immoderato vini & Tabaci usu quotidie fere per aliquot annos continuato, neglecta debita cibi assumptione, in eam ventriculi debilitatem incidit, ut quotidie mane vomuerit, omnemque plane cibum averſatus sit, atque ubi eu invitus admitteret, vomitu rejecerit. Coactus tandē elt pro sedanda ventriculi irritatione, ad quotidianum aquæ vitæ Observatio Trigenarii morbo huic perquam simili laborantis.

vitæ vulgaris usum confugere; postea autem ex hac & cerevisia lupulata veteri, adjecto saccharo, confecit sibi potum, quo solo per tres ferme menses vitam sustinuit. Interim omnes partes quas in hoc morbo primo affectas vocamus, extrema macie conficiebantur, simulque molles, laxæ, flaccidæ & languidæ reddebantur, adeo ut neque se in lecto vertere, neque surgere, neque incedere, aut erectus stare potuerit; nullus tamen comitatus est dolor, neque ulla aut sensus aut motus privatio, non tussis, non respiratio difficilis. Facies partesque circa caput floridæ, bene habitæ, beneque coloratæ conspiciebantur, ut ex solo vultus intuitu vix suspicareris hominem ægrotasse. In lecto decumbens sedate cum sociis fabulabatur, per vices peti fumum exsugens, potumque prædictum ebibens. Eventus morbi non quidem ad hunc locum pertinet; breviter tamen in eorum gratiam, qui eum scire expetunt, annectimus. Medicus advocatus, interdicta intemperantia, & præter alia remedia, exhibito præcipue gr. iß. *Laudani Londinensis*, compescuit nauseam, tum ventriculi tumultum, quam partem etiam internis tum externis roboravit; cibum probum facilisque coctionis præscripsit. Loco exercitii frictionibus matutinis calorem ad externas partes solicitavit, porrecta prius exigua quantitate *elect. roborantis & aperientis cum tantilla portione chalybis confecti*, & propinatis ʒij *vini absynthio & mentha conditi*, & *cum croco in nodulo suspenso parum tincti, immixtis*

ℨiij *cerevisiæ tenuioris adjecto sacch. ad gratiam.* Porro purgatus est per intervalla benignis medicamentis, & vesperi cordialibus refectus. Intra 20 dies in tantum convaluit, ut foras prodire, per horæ spatium obambulare, scalas cum ascendere, tum descendere sine sustentaculo valuerit. Postea vero à simili intemperantia recidivam passus, absente medico defunctus est. Sed è diverticulo redeamus in viam, & ad scopum propositum sermonem nostrum dirigamus. Affectus ipse jam confirmatus, qualis erat, cum medicus advocaretur, præter ventriculi mala, visus est includere maximam partem essentiæ hujus morbi, de quo agimus. Etenim in partibus motui inservientibus, iis nempe quæ in hoc morbo primo affectæ sunt, intemperies frigida, sive ob defectum motus, sive ob imminutum vitalis sanguinis affluxum, tactu manifeste deprehendebatur. Deinde in iisdem partibus intemperiem humidam ostendebat earum mollities, lubricitas, laxitas, flacciditas. Inopiam spirituum insitorum satis evincebat extrema istarum partium macies, torporem ineptitudo ad motum, & affectatio quietis. Inæqualem sanguinis distributionem arguebat habitus plenior & floridior parrium circa caput, dum cæteræ partes essent extenuatæ. Peculiaris autem causa hujus inæqualitatis in hoc ægro potuerit fuisse frequens vomitio, qua uberior sanguinis affluxus ad partes circa caput concitatus fuit, cæteris eo propemodum destitutis.

Ex

Ex jam dictis facile est cuivis perspicere maximam saltem partem essentiæ hujus morbi in memorato affectu conclusam fuisse. Unde tandem probabiliter inferre licet, possibile esse hunc affectum adultis etiam sub propositis limitationibus accidere; licet is rarissime in illis occurrat, quod gravissimas causas per longum tempus superstite vita continuatas ad sui introductionem postulet. Atque ita demum disquisitioni super hac priori quæstione terminum imponimus.

Cap. XIX.

Quæstio posterior.

Cur in Anglia frequentius hic morbus occurrat, quam in aliis regionibus? &, An sit Anglis vernaculus.

DAri morbos *Endemios* sive *vernaculos & patrios*, qui nempe certæ alicujus regionis incolas ob communem causam, frequentius, quam aliorum locorum incolas infestent, communi medicorum consensu receptum est. At cum relatio regionis ad morbos in ea frequentius grassantes diversimoda observari possit; & cum viri etiam cordati morbis nonnullis denominationem à certis regionibus improprie adscripserint; denique

cum

cum illi, qui hactenus de morbis vernaculis tractarunt, omnes morbos in quavis regione frequentiores indiscriminatim (ac si de morbi vernaculi natura ex æquo participarent) vernaculos nuncuparint; operæ pretium duximus nonnulla de horum morborum inter se differentiis præsenti disquisitione præmittere.

I Ergo, morbi à regione denominantur vel *proprie*, vel *minus proprie & abusive, vernaculi.*

Morbi proprie vernaculi dicti 4 conditiones, ut sic dicantur, postulant. Quatuor conditiones, ut morbi dicantur propriè vernaculi.

I Conditio est, *ut sit morbus frequentior in illa regione, cui attribuitur ut vernaculus, quam in ulla alia regione, cui non attribuitur ut talis.* Etenim morbus vernaculus perpetuo supponitur diversas regiones inæqualiter respicere; unamq; magis (illam nempe cui adscribitur) aliam vero minus infestare.

II Est, *ut dependeat morbus ab aliquali loci inclementia.* Morbus enim proprie vernaculus quoddam crimen & vitium ipsi loco imputat. Quando ergo locus ipse peculiaris cujusdam vitii non reus est, improprie certe, immo falso, atque injuste stigma tale ei inuritur.

III Conditio, *ut regionis inclementia tanta sit, ut etiam cautiores eosque qui debitum sanitatis regimen locoque appropriatum diligenter observant, afficiat.* Certis quippe regionibus peculiare quid in sanitatis regimine debetur. Ubi ergo populus, posthabita ejusmodi peculiari loci observatione, ex errore in 6 rerum non-naturalium usu, in

morbum

morbum aliquem epidemicum inciderit, non is pro Endemio seu vernaculo habendus est, sed errori, imprudentiæ, aut incogitantiæ & negligentiæ incolarum adscribendus est. Morbus enim hic, quem supponimus, præcaveri poterat, modo regimen sanitatis loco appropriatum fuisset rite observatum.

IV. Est, *ut vitiosa ista regionis constitutio aliquandiu permanens & durabilis sit, aut ad minimum frequenter recurrens.* Vitium enim loci, quod fugax est, neq; diu durat, nec sæpius recurrit, ut extraneum quid & mere adventitium respectu regionis habendū est, ut morbū patrium proprie non denominet. Exempli caussa, Si pernicios quædam & insolita aura ex aliis regionibus huc forte afflaretur, morbumque communem produceret, eaque non ultra menses aliquot vigeret; certe morbus ille non proprie vernaculus, at fortuitus casuque eveniens dicendus esset. Quapropter Febris Ungarica, tum sudor Anglicus, licet ab istis regionibus respective nomen sortiti sint, minus proprie jam saltem vernaculi nuncupantur, cum careant durabili fomite in istis locis persistente, & cum vel plane cessarint, vel saltem non magis hic aut illic, quam alibi impræsentiarum dominentur.

Qui morbi impropriè dicantur vernaculi.

Morbi improprie vernaculi includunt quidem primam conditionem propositam proprie sic dictorum? scil. Quod frequentius in regione, cui adscribuntur, quam in aliis occurrunt: (alias enim nō improprie quidem vernaculorū appellationem mererentur.) Carent tamen 2. 3. ve

4. Vel enim carent fomite in regione radicata; vel fomes, quem habent, admodum debilis est, & inconsiderabilis, quique ex regimine diætæ loco appropriato superari potest; vel denique fomes non permanens & durabilis est, neque frequenter recurrit. Per fomitem [illegible] hic intelligimus aliquid respectu sanitatis culpabile in ipsius regionis conditione fundatum. Quando ergo morbus aliquis communis & frequens oritur ex abusu alicujus commoditatis regionis, ut si gens aliqua propter uberiorem frugum vel fructuum proventum similemve fertilitatem regionis, vel propter diuturnam ac securam pacem, intemperantiæ, socordiæ, aliisve vitiis se addiceret, indeque morbum aliquem communem incurreret, morbus is non proprie vernaculus censendus est. Occasio enim istius morbi, quam suppeditavit patria, in se laudabile quid est, ideoque quodcunque ejus abusu accidit non patriæ, aut soli incolarum errori jure imputandum est. Similiter, si fomes morbi sit culpabilis, neque tamen is in ipsa constitutione regionis fundetur, verum in aliqua hominum actione, ut quando ex clade belli inhumata cadavera putredine sua aerem inquinant, indeque morbum Epidemicum producunt, non est hic morbus vernaculus dicendus, cum ab arbitrio hominum, non proprio loci vitio, dependeat.

Morbus etiam nonnunquam per calumniam & abusive genti vel loco adscribitur, ex pravo & malevolo animo alicujus

cujus gentis vicinam defamare cupientis. In hunc modum Neapolitani Luem Veneream morbum Gallicum vocant, quasi is Gallis esset vernaculus; è contra Galli calumniam illam in Neapolitanos retorquent, & eum morbum Neopolitanum nuncupant. Verum de his [illegible].

Morbus proprie dictus vernaculus duplex est.

Morbus proprie dictus vernaculus duplex est, *vel originalis est & antiquus, vel adventitius & novus.* Originalis is est, qui, prima loci inhabitatione, incolas infestavit: hujus generis forte est *Bronchocele* apud Alpinos: Febris illa ardens, quam *Calenturam* vocant, sub Zona torrida; *mortificatio sive sphacelus partium à frigore sub Zonis frigidis versus Polos.*

Vernaculus adventitius seu novus rursum triplex est.

Morbus vernaculus adventitius seu novus is est, qui ob communem aliquam causam de novo regioni supervenit. Hic triplex est. Nam, *vel provenit ab originali aliquo vitio regionis, tractu temporis, in incolarum sanitatem prævalente*; vel *ab alteratione seu innovatione aliqua ipsi Regioni accidente*, vel *ab incongruitate loci cum complexione novorum incolarum.*

1 Morbus vernaculus novus regioni supervenit ab originali aliquo vitio, tractu temporis, prævalente. Fieri enim potest, ut firmiora corpora primorum incolarum alicujus loci influxui regionis valide insalubri resistant, & morbi vernaculi invasionem per multa secula repellant, licet postea progenies illorum, tractu temporis, paullatim immutata in ista peculiari ratione complexionis, qua ante resistebant, in morbum aliquem vernaculum demum labantur. Etenim plica Polonica

lonica Sarmatis & Polonis, ſcorbutus incolis littoris maris Baltici morbi ſunt vernaculi, iidemque morbi novi ſunt, & (ut omnes fatentur) veteribus plane incogniti. Jam vero nondum conſtat ullam notabilem aut inſignem immutationem vel innovationem, iſtis regionibus accidiſſe ante illorum morborum eruptionem, cui poſſis novi morbi originem probabiliter adſcribere. Quare dicendum potius videtur novos iſtos morbos ab antiquo & originali locorum vitio profluxiſſe, non tamen eos prius exortos ob peculiarem vim primorum incolarum iis reſiſtendi. Nam & in hunc uſque diem nonnullas familias in prædictis locis ab iſtis morbis immunes, regionumque injuriæ nec dum cedentes, perſeverare credibile eſt.

2 Morbus vernaculus novus provenire poteſt ab immutata vel innovata regionis conſtitutione. Hujuſmodi innovationes locorum accidunt, aut ab inundationibus aquarum, aut terræ motibus, aut eruptionibus vel novarum ſeaturiginum pernitioſarum, vel novarum exhalationum forte mineralium è cavernis terræ, à maligno aliquo ſiderum aſpectu, ſimilibuſque cauſis.

3 Morbus novus vernaculus provenire poteſt ab incongruitate loci cum incolarum complexione. Hujuſmodi morbi maxime accidunt gentibus, quando ab una regione in aliam migrant, præſertim ubi conſtitutiones regionum, in quas ſe conferūt, admodū diverſę ſunt ab iis, à quibus recedunt. Sic Angli qui

primum Virginiam inhabitarunt, tumore Abdominis & Hypochondriorum frequenter affligebantur; qui ubi in Angliam redierunt, haud difficulter curabantur: ast illic permanentes, non æque facile.

Alia morbi vernaculi differentia.

Porro morbi vernaculi inter se differunt, quod alii *ex toto* dependeant sub inclementia regionis, alii *ex parte* tantum. Prioris generis videtur sphacelus membrorum à frigore in septentrionalibus tractibus Polo vicinioribus: integra quippe morbi essentia inclementiæ loci adscribi potest. Posterioris generis videtur Lues venerea apud Indos occidentales. Putatur enim illic contrahi partim ex impuro concubitu, partim ex peculiari insalubritate loci. Similiter in Hybernia dominatur dysenteria, quæ partim dependet à constitutione loci, partim ab erroribus diætæ. Atque hæc in genere de morborum vernaculorum differentiis dicta sint. Proxime jam inquirendum, *Cur in Anglia frequentius quam in aliis regionibus morbus hic occurrat?* & obiter notandum *an, & quatenus idem sit Angliæ vernaculus?*

Angliæ temperies frigida & humida.

I Sciendum est Angliam esse insulam, & *nonnihil humiditatis* à vicinia maris, tum *frigiditatem* à distantia ab æquatore mutuare; deinde eam innumeris prope fontibus ubivis rere locorum scaturientibus abundare; denique multis pluviis iisque frequentioribus quam pleraque alias regiones irrigari: Quæ omnia frigiditatem atque humiditatem loci satis attestantur. Cum ergo intemperies frigida

gida & humida sit pars essentiæ hujus morbi, facile inferre licet corpora incolarum magis hic adustas intemperies inclinari quam in aliis regionibus calidioribus & ficcioribus.

An, & quatenus hic morbus dici possit Anglis vernaculus.

Si ergo quæras, an hic morbus, ex hac saltem sui parte recte dicatur Anglis vernaculus?

Respondemus, eum quodammodo sic dici posse (licet forte non proprie) eatenus nimirum, quatenus aliis regionibus pariter humidis ac frigidis (etsi in iis forte nondum observetur) idem, ut vernaculus attribuitur. Siquidem illæ regiones etiam æque dispositæ sunt ad frigidam & humidam intemperiem suis incolis imprimendam ac ipsa Anglia. Notandum autem est intemperiem frigidam & humidam esse partem essentiæ hujus morbi communem, & per se solam eundem non specificare, neque omnem intemperiem frigidam & humidam hunc morbum inferre. Quapropter licet concedamus excessum frigiditatis, & humiditatis Angliæ vitio verti posse, negamus tamen inde recte inferri morbum integrum esse Anglis vernaculum.

Porro reperiantur forte regiones, quæ, respectu tum frigiditatis, tum humiditatis Angliam longe excedant, ut *Scotia*, *Hollandia*, *Zelandia*, *Hybernia*, *Dania*, similesque, in quibus tamen nondum hic morbus frequenter grassari notatus est; si ergo hic morbus non recte imputetur his regionibus, in quibus viget communis illa causa, excessus nempe frigiditatis & humiditatis, certe neque Angliæ pro-

ter istam communem causſam, quę hic levior est, jure imputetur. Ad hæc, frigiditas & humiditas Angliæ non eousque à mediocritate recedunt, quin extra admotis, intus assumptis, exercitiis & similibus, recto nempe usu 6 rerum nonnaturalium satis superque corrigantur, quo minus hæc imputatio ei altius inhæratur. Quapropter si hæc ita se habeant, si nimirum intemperies frigida & humida sint tantum cōmunis pars morbi, si aliæ regiones, in quibus nondum viget morbus, sint ad minimum æque obnoxiæ frigiditati & humiditati, si denique istæ intemperies reginine diætæ loco appropriato præcaveri possint, certe ratio abhumiditate & frigiditate climatis desumpta, quam modo reddidimus, cur Angli frequentius hoc morbo tententur præ aliis, valde manca & insufficiens erit, ut nobis in hac sola acquiescere minime liceat; ideoque nihil aliud illam assignando voluimus, quam Angliam hinc magis disponere incolarū corpora ad hunc affectū, quam calidiores ac sicciores regiones suorum incolarum corpora. Atque adeo ad alias hujus frequentiæ causſas investigādas procedimus.

Anglia regio ad modum prolifera.

II Loco annotare possumus Angliam esse *admodum proliferam*, & tum conceptioni tum gestationi satis favere, neque abortibus ita obnoxiam. Hinc autem evenit, ut non tantum viri robustiores validioresque, & integra sanitate prædíti, sed & languidiores, debiliores, ac valetudinarii generent fœminæque infirmæ, cachectieæ, cacochymicæ, immo & in

Tabem

Tabem pronæ concipiant, ad nonum menſem geſtent, legitimeque pariant. Minime autem mirandum eſt, ſi fœtus è tali ſeminio genitus, quique ſoli fere clementiæ loci vitalitatem ſuam debet, minus vegetus & vigens, minuſque nervoſus, & in hunc affectum plane pronus in lucem edatur. Etenim ipſa benignitas regionis hoc reſpectu nonnullius infirmitatis in genere occaſio eſſe poteſt. Quemadmodum enim barbari olim populi inhumaniter tractando recens natos infantulos, eos nempe nudos prægelidis lymphis ſub dio immergendo, infirmiores frigore ipſo enecarunt, robuſtiores vero ſolos, qui injuriæ ejuſmodi tractationis non ſuccumbebant, educarunt, unde univerſa gens ab iſta inhumanitate valida tandem ac robuſta evaſit; ita quoque è contra ipſa clementia loci infirmiores fœtus promiſcue una cum robuſtioribus præſervando mixtã quandam gentem ex infirmis & validis conflatam proferendi occaſionem miniſtrat. Ne quis tamen erret, non volumus omnes in hac regione pueros in hunc affectum pronos ab infirmis parentibus & valetudinariis ſatos fuiſſe. Licet enim parens uterque vel alteruter infirmus ut plurimum ſimilem prolem edat, frequenter tamen videmus parentes ſatis validos etiam prolem huic morbo facile obnoxiam generare. Quare necdum in hac ſecunda cauſſa acquieſcimus, ſed alia adhuc adinvenienda eſt, a qua ſufficiens ratio frequentiæ hujus morbi apud nos derivari poſſit.

Diuturnat pax occasio est effœminationis corporum incolarum.

III Ergo loco dicimus frequentiam hujus morbi in Anglia multum fuisse promotam *à diuturna ac secura pace* regionis primam ejus eruptionem præcedente. Per hanc enim ditiores familiæ, quas primas hic morbus infestavit, & adhuc præ aliis infestat, otio se ac delicationi molliorique vitæ generi addixerant, indeque in constitutionem humidiorem, laxiorem, molliorem, effœminatam, & ab excrementitiis humoribus minus perpurgatam inciderant, adeoque liberos huic morbo facile obnoxios procrearant. Dicas, Scotiam ac septentrionales partes Angliæ ipsius, licet pari pace & securitate potitæ fuerint, non pariter tamen, immo rarissime hoc affectu affligi observatas.

Respondemus, revera Scotiam & septentrionales partes Angliæ quam australes & occidentales rarius ac mitius hoc morbo affici. Interim forte prima ejusdem vestigia & quasi rudimenta longe frequentiora sunt etiam in locis dictis, immo & nonnullis exteris regionibus, quibus vix dum morbus notus est, quam vulgo creditur. Etenim licet hic morbus australibus & occidentalibus Angliæ tractibus admodum familiaris sit, vulgoque satis notus, sæpe tamen videre licet pueros eo leviter affectos, de quibus neque parentes, neque alii ejusdem familiæ vel conqueruntur, vel quid mali suspicantur: immo multos novimus solo beneficio aucti caloris sive incremento ætatis sive exercitiis sanatos absque ope medica, quos nemo amicorum affectos putaverat.

Quanto

Quanto ergo facilius prima rudimenta hujus morbi illos lateant, quibus minus familiaris est, & apud quos rarissime ad eum gradum ascendit, ut opem medicam opus habeat implorare. Suspicamur ergo hunc affectum frequentiorem esse quam credi solet, tum in Scotia tum in septentrionalibus Angliæ partibus, immo & in nonnullis regionibus, in quibus hactenus ignoratur; verum in iis locis mitius & remissiori gradu affligere, ut in medicorum manus non facile deveniat. Is enim mos vulgi est, medicum non accersere (præsertim ad infantes & pueros) nisi morbus satis vehementer urgeat. Utcunque se res habeat, nondum quidem videmur satisfeciſſe propositæ objectioni, cur Angli occidentales & australes gravius & frequentius septentrionalibus & Scotis cum hoc morbo conflictentur, etsi pax & securitas utrique regioni par fuerit. Concedimus ergo ulteriorem adhuc rationem hujus differentiæ succenturiandam esse.

Morbus hic longius latiusque extenditur quam vulgo credi solet.

IV Itaque & ultimo dicimus hujus differentiæ causam esse *affluentiam omnium bonorum in australibus hisce & occidentalibus Angliæ partibus.* Est enim hæc pars Angliæ multo florentissima opulentissima, feracissima, voluptatis omnimodæ illecebris instructissima. Haud mirum ergo si hic primo hominum vivendi genus mollescere, vires labescere, corporis robur & tonus exsolvi cœperit. Versus septentrionem durius vivitur, frequentius exercitium corporis obitur, luxui & voluptatibus minus indulgetur.

Australes & occidentales Angliæ partes multo sunt fertiliores ac opulentiores quam septentrionales.

Mollior vitæ ratio tractu temporis familias enervare solet.

Jam vero quod mollior ac delicatior vitæ ratio, tractu temporis, familias enervet, satis superque nobis historiæ testantur, ut alia probatione opus non sit. Observare enim licet nobilissimas generosissimasque familias ob hanc ipsam caussam serius aut citius degenerasse, aut etiam extinctas fuisse, eoque citius quo magis aversatæ fuerint labores & mascula exercitia, seque mollitiei, otio, lusibusque fœminimis addixerint. Neque unquam in majori periculo degenerationis familiæ versantur, quam ubi bonis omnibus affluunt, & ob copiam securitatemque parentes ad mollitiem, otium, vitamque effœminatam, procul omni labore, cura, & solicitudine, quam maxime invitantur. Quis opulentior, securior, aut effœminatior Solomone? filium hic post se reliquit Rehoboam degenerem. Henerici octavi linea extincta forte est ob similem caussam. Innumera prope exempla in hanc rem accumulare, si opus esset liceret. Utut sit, videmus hunc morbum ditiores familias frequentius & gravius affligere quam pauperes; quare neque mirandum eum ditiores atque amœniores quoque partes Angliæ, australes nempe & occidentales prius invasisse quam septentrionales. Sed de hac re hæc dicta sufficiant. Restat tantum inquiramus an & quosque tres ultimo assignatæ caussæ respiciant denominationem morbi vernaculi, & an propter illas morbus hic Angliæ attribui possit ut vernaculus.

Sciendum

Sciendum igitur est tres hasce causas in quantum à regione dependent, non esse causas per se, neque ex natura sua morbum hunc producere; verum esse tantum occasiones ob quas per accidens morbus hic oriri possit. Per se enim laudabiles regionis conditiones denotant, tantum quid culpandum in ea inferant. Quis enim patriam suam criminari possit, quod ea procreationi liberorum faveat, multo minus id improbare, quod longa securaque pace fruratur; denique minime omnium accusare amœnitatem regionis, fertilitatem, bonorumque omnium affluentiam. Hæc enim omnes ex se benedictiones sunt, conditionesque patriæ exoptandæ. Cum ergo supra monuerimus morbum proprie vernaculum notam aliquam constitutionis vitiosæ loco, cui adscribitur, inurere; fieri non potest, ut propter regionis commoditatem, ei morbus aliquis, ut proprie vernaculus, attribuatur. Quapropter (ut verbo, quæ dicta sunt sultius, complectamur) licet hic morbus ex parte frigiditatis & humiditatis fomitem in ipsa regionis constitutione habeat; licet etiam tres alias occasiones invadendi à regione mutuet, cùm tamen, perdebitam observationem regiminis sanitatis, loco appropriati, intemperies istæ præcaveri possint; & cum tres reliquæ occasionalis caussæ per se minime culpabiles, aut exoptabiles sint, morbum hunc non esse proprie Angliæ vernaculum dicendum est. Atque ita finem imposuimus disquisitioni nostræ de caussis hujus morbi,

Morbus hic non proprie dici potest Anglis vernaculus.

Cap. XX.

Differentiæ morbi Rachitidis.

PLures sunt hujus morbi *differentiæ* ob variorum malorum concursum, quam quis facile putaret; quarum aliæ majoris, aliæ sunt minoris notæ. Præcipuas hic breviter proponere decrevimus. Earum enim cognitio non modo ad signa prognostica definienda utilis est, quo varii morbi eventus distincte, secundum illas differentias, prædicentur; sed & insuper multum ea conducit tam ad præcautionem, quam ad curationem morbi, viz. ut ex earum consideratione appositæ & proportionatæ præsidia eligantur.

Divisio differentiarum.

Desumuntur autem hæ differentiæ vel *ab ipsa essentia morbi*, vel *ab ejus causis*, vel denique *ab aliis morbis cum eo complicatis*. Morbi essentia diversimode variare potest. Viz. 1. *Ratione partium essentiæ secundariæ præsentium vel absentium.* 2. *Ratione magnitudinis.* 3. *Ratione vehementiæ.* 4. *Ratione virium.* 5. *Ratione temporum.*

Concedimus equidem nonnullas differentias hisce titulis subjectas aliquo modo coincidere: cum tamen formales earum conceptus distincti sint, diversas certe merentur considerationes. Licet enim morbus eo ipso etiam respectu dicatur

catur major, quod plures essentiæ secundariæ partes in eodem ægroto complectatur; diversa tamen & distincta est hæc consideratio ab illa magnitudinis. Etenim magnitudo proprie respicit gradum recessus à naturali statu, non naturam partis essentiæ præsentis vel absentis. Hinc quippe differentia pluſquam gradualis resultat. Similiter nonnullæ reliquarum differentiarum idem forsan in concreto significant; at vero in abstracto & formaliter diversum quid & separatæ considerationis designant. Sed pergamus.

1 Differentia hujus morbi illa est, quæ oritur à præsentia plurium vel pauciorum partium essentiæ secundariæ ejusdem. Etenim licet omnes partes essentiæ primariæ perpetuo adsint præsente ipso morbo, non tamen necesse est omnes partes secundariæ essentiæ semper adesse. Siquidem hæ accessoriæ sunt essentiæ primæ, eique paullatim supervenient: immo nonnullæ earum intervenientibus causis impedientibus ita plane intercipi possunt, ut omnino non appareant. Huc referas illam differentiam, quam in calce præcedentis disputationis proposuimus, quamque adultis possibile esse accidere, etsi rarissime, demonstravimus. Verum cum nostrum institutum sit de morbo, qua puerili, hic tantum tractare, sufficerit hanc differentiam sic obiter notatam præterire. Sed & in ipsis etiam pueris contingit aliquando nonnullas essentiæ secundariæ partes, quæ cum essentia primaria etiam conjunctissimæ 1 Diff.

simæ sunt, saltem ordine naturæ succedere. Primaria enim essentia causæ vicem sustinet, quæ semper natura prior est causato. Veruntamen ordine temporis nonnullæ partes essentię secundariæ simul quasi cum essentia primaria invadunt, aliæ autem tractu temporis superveniunt. Quæ hoc loco veniunt distinguendæ. Illæ enim plane inseparabiles sunt hæ vero separabiles ab hoc morbo.

Partes essentiæ secundariæ inseparabiles reduci possunt ad hæc capita. 1 *Ad Tonum partium primo affectarum vitiatum.* 2 *Ad inæqualem & imperfectam distributionem vitalis sanguinis.* 3 *Ad imminutam participationem vitalis influxus in partibus primo affectis.* 4 *Ad vitia secundaria constitutionis animalis.* Vitia hæc superius, ubi de essentia secundaria hujus morbi, egimus, satis explicantur; ubi quoque, propter arctam eorum connexionem cum essentia primaria, quivis facile percipere potest ea simul tempore (licet non sine causali dependentia ab essentia primaria) incipere.

Verum Organica vitia omnia supra quoque memorata, separabilia & nonnunquam actu separata ab hoc morbo deprehenduntur. Etenim magnitudo Capitis, macies artuum, incurvationes sive Tibiæ sive ulnæ, inflexiones articulorum, pectoris angustia, non statim ab initio hunc affectum necessario concomitantur, sed tractu temporis paullatim morbo succrescunt. Et licet ἀλογοτροφία partium, quę quodammodo in jam dicta vitia influit, levissimo gradu dici possit adesse

adesse ab initio morbi; illa tamen ipsa ex se tantum symptoma est, & non morbus, neque mox à principio istos morbos magnitudinis, figuræ, & situs producere valeat. Porro non necesse est, ut simul, & ex æquo vitia hæc organica Rachitide laborantem invadant. Concedimus quidem extenuationem partium affectarum, ubi morbus aliquandiu durat, semper & necessario ei succedere, neque postmodum perseverante morbo amoveri posse; esse præterea partem principem inter partes essentiæ secundarię separabiles; immo extenuationem sientem immediate consequi imminutam nutritionem partium primo affectarum, haud aliter ac imminuta nutritio sequitur immediate primam essentiam morbi in dictis partibus; Interim dicimus extenuationem factam, quę secundaria morbi pars ipsa est, de qua loquimur, necessario præsupponere morbi motum ac tempus, atque in primo momento existentię morbi existere non posse. Dicimus insuper medicos non agnoscere ullam mutationem factam in partibus sensui expositis, quę sensui nondum compareat, & per consequens neque extenuationem factam in partibus primo affectis, donec ea sensibus obvia fiat, quod certe durationem aliqualem morbi necessario prærequirit. Improportionata vero Capitis magnitudo, simul fere incipit cum ista extenuatione partium primo affectarū; verū fieri potest, si Phthisis colliquativa cum hoc morbo forte complicetur, ut ejusmodi magnitudo capitis ante obitum evanescat

evaneſcat, quemadmodum ſupra in obſervationibus Anatomicis exemplo uno probavimus. Magnitudo ergo capitis magis ſeparabilis eſt ab hoc affectu quam extenuatio partium primo affectarum: hæc quippe amoveri non poteſt abſque ipſius morbi curatione. Oſſium protuberantiæ nunc citius nunc ſerius apparent, modoque magis, modo minus intra æquale tempus excreſcunt: diu vero perſeverante morbo rariſſime (ſi unquam) abeſſe cernuntur. Anguſtia pectoris non, niſi poſt longum tempus, confirmato jam morbo, ſupervenit, & Phthiſeos ferme prodromus eſt. Tandem curvitas Tibiæ & Ulnæ, ut & inflexio Articulorum, tum abeſſe poteſt per totum morbi decurſum, tum ſecundum magis & minus adeſſe, atque inter ea, quæ hunc morbum ſequuntur, maxime eſt fortuitum. Concludimus ergo partes haſce organicas eſſentiæ ſecundariæ ſeparabiles eſſe iſto modo, quo jam diximus, & prout plures vel pauciores adſunt, morbi differentiam conſtitui, qua alius magis, alius minus eſt compoſitus.

a Diff. à magnitudine.

2 Differentia hujus morbi deſumitur a magnitudine ejuſdem. Magnitudo æſtimatur *ex majori vel minori ejus receſſu à naturali ſtatu.* Vaſta quidem occurrit differentia morbi hujus reſpectu magnitudinis. Alii enim adeo leviter eo afficiuntur, ut vix diceres eos omnino ægrotare: de nulla re queruntur; edunt, bibunt, dormiunt ſanorum ſimiles; tantum ludunt ſegnius, & nonnulla alia le-

viora

viora morbi stigmata gerunt. Et solo fere naturæ beneficio absque arte convalescunt, neque parentes, nutrices, aut adstantes facile sibi persuaderi patiuntur eos hoc morbo detentos fuisse. E contra, alii tam atrociter affliguntur, ut etiam optimis præsidiis ab imminentis mortis periculo vindicari non possint.

3 Differentia est a morbi vehementia, Hæc autem æstimatur *ex violentia motus morbi, & naturæ renitentia, tum ex magnitudine pugnæ harum inter se.* Morbus hic licet alias satis magnus sit, tardi tamen motus est, vixque, nisi febris aliusve morbus urgens conjungatur, naturam ad violentiorem pugnam proritat. Utcunq; tamen motus ejus aliquando conceitatior, aliquando segnior est; unde morbus qualemcunque differentiã mutuatur. 3 Differentia à vehementia.

4 Differentia est à viribus Infantis vel Pueri ægrotantis. Hæ æstimantur *ex majore vel minore præsentia eorum quæ sunt secundum naturam.* Huc spectat conditio temperamenti, spirituum insitorum copia, & activitas, firmitas toni, vigor constitutionis vitalis & animalis, organorum structura. Nam prout hæc magis vel minus secundũ naturã se habent, ita robustiores vel minus robustę æstimandæ sunt vires, & sec. eas morbus vel periculosior vel minus periculosus judicandus est. Juniores pueri ob hãc causã cęteris paribus periculosius laborant, quam seniores. 4 Differentia à viribus.

5 Differentia est a morbi temporibus. Atque hæc differentia quodammodo in concreto includit omnes præcedentes. Quicquid enim differentiæ cuivis morbo Differentia à Temporibus.

bo acidit, neceſſe eſt id in aliquo morbi tempore accidere. Quatuor morbi *Tempora* à Medicis numerari ſolent; *Principium, augmentum, ſtatus, & declinatio.* Sciendum vero eſt Medicos paullo craſſius in temporibus rerum diſtinguendis procedere, quam Philoſophos. Non enim reſtringunt principium morbi ad id punctum temporis, quo morbus incipit; ſed extendunt id eo, quouſque tanta alteratio morbi accidit, quanta certis ac ſenſui manifeſtis indiciis dignoſcatur. Etenim principium indiviſibile non eſt tempus, quo actio medica perficiatur. Et quorſum utilis eſſet ea morbi temporum diſtinctio quę in nulla ejus alteratione nobis nota fundaretur?

Approbatio diviſionis Temporum morb. Galeni.

Recte ergo Galenus tempora febrium & inflammationū ex cognoſcibili earum alteratione deduxit: principium nempe à cruditate materiæ morbificę; augmentum à manifeſta ejuſdem coctione; ſtatum ab excretione; declinationem à reductione reliquiarum ad naturalem ſtatum computavit. Atque hæc quidem tempora à cruditate & coctione, &c. diſcriminata febribus & inflammationibus apprime quadrant. Verum diſtinctio hæc temporum in multis aliis morbis non æque feliciter ſuccedit.

Ejuſdem defectus notatus.

Natura enim in his non ita regulariter à cruditate ad coctionem, inde ad expulſionem, & demum ad reductionem progreditur, neque ex his morbi progreſſum certo & tuto dignoſcere poſſumus. Aliq igitur morborum horum alterationes clariores ac cognitu faciliores attenden-

dæ

ęę ſunt. Concedimus tamen hoſce etiam morbos, ubi ad ſalutem terminantur, quatuor iſta tempora, principium, augmentum, ſtatum & declinationem percurrere. Verum ubi ad interitum ægrotantium tendunt, vix ad ſtatum perveniunt, ſed indies ad extremum uſque vitæ diem augentur. Quare in his augmentum maximam latitudinem admittit, atque ulteriorem diſcriminationem ſeu ſubdiviſionem meretur. Cum vero mediocris ſtatus morbi ejuſdem generis ſit quaſi medius terminus inter principium & finem hujuſmodi augmenti; commode inde diſtinguere poſſumus *augmentum* in *augmentum citra, ſeu infra*, vel *ultra* ſeu *ſupra ſtatum*. Augmentum citra ſtatum appellare poſſumus *augmentum citerius*, ſeu *inferius*, vel *augmentum ſimpliciter*, cum non differat ad ipſa re iſto nomine communiter recepta. Augmentum ultra ſeu ſupra ſtatum, vocamus *augmentum excreſcens*, *excedens*, vel *tranſcendens*, item *deploratum*. Nova diviſio Augmenti.

Porro duos modos declinationis morbi obſervare licet. Prior *legitimus*, quando morbus ſimpliciter verſus ſanitatem declinat. Poſterior *nothus*, quando morbus remittens migrat in alium diverſi generis. Atque ita quamvis in convaleſcentibus 4 tantum ſint morbi tempora, in aliis tamen duæ aliæ differentiæ diſcerni poſſunt. Notandum tamen eſt hæc 6 tempora in eodem morbo & in eodem ægroto nunquam inveniri; aſt ubi idem ſpecie morbus eſt, in diverſis ſubjectis. Hęc jam ad præſentem affectum applicemus Duplex declinatio.

Differentiæ hujus morbi sec. tempora proposita.

applicemus. Dicimus ergo 6 occurrere differentias hujus morbi respectu ejus temporum. Est enim in principio, & dicatur *incipiens*; in augmento, & dicatur *confirmatus*; in statu, & dicatur *consistens*; in augmento supra statum, & dicatur *deplorans*; in declinatione vera, & dicatur *declinans simpliciter* vel *remittens*; in declinatione notha, & dicatur *migrans in alium morbum*. De quibus ordine proposito dicemus.

1. Morbus Rachites vocatur *incipiens*, quando prima morbi rudimenta & quasi vestigia, licet ea obscura, & quasi adhuc latentia observentur, nondum tamen manifesta partium primo affectarum extenuatio facta est.

2 Morbus hic *confirmatus* dicitur, quando jam evidens & manifesta extenuatio partium primo affectarum facta sensibus occurrit. Atque hic videt lector nos non distinguere hæc duo tempora ex cruditate & coctione, aut ex alia alteratione corporis, *viz.* extenuatione in partibus primo affectis facta. Etenim ex cruditate & coctione nullo modo discerni potest hujus morbi principium ab augmento. Alias autem, quantum natura rei patitur, libenter exemplum Galeni sequimur, & quemadmodum ille ex manifesta coctione augmentum a principio distinguit, ita quoque & nos ex manifesta alteratione, nimirum extenuatione in partibus dictis facta, tempora hæc in hoc affectu discriminamus.

3 Morbus hic *in statu consistens*, seu *statum attingens*, is est, qui, ad summum su-

um vigorem provectus, sistitur; & ad tempus neque sensibiliter augetur, neque imminuitur, sed sibi æqualis permanet.

4 Morbus hic *excedens statum mediocrem*, sive *deploratus*, is dicitur, qui magnitudine & vehementia superat ipsum ejusdem morbi statum in alio ægroto mediocriter affecto, simulque continue augetur, neque spes est quin indies auctus sit futurus ad extremum usque vitæ terminum. Ob quam causam conditio hæc morbi deplorata etiam cognominatur.

5 Morbus hic dicitur *vere & legitime remittens* seu *declinans*, quando essentia ejus sensim imminuitur, & signa ejus ac symptomata indies mitiora fiunt.

6 Morbus hic *illegitime declinans*, seu *migrans in alium morbum diversi generis* dicitur, quando ita essentia ejus, signaq; & symptomata minuuntur, ut in eorum locu nova & forte graviora diversi generis subinde surrogentur. Hoc modo morbus hic migrare solet in Tabem, in febrē Hecticam, & forte in lentā putridam; ut plurimum tamen idem morbus hos super-venientes ad interitum ægri usque concomitatur. Atq; hæc dicta sint de differētiis hujus morbi ab essentia deductis.

Morbus hic similiter *respectu causarum* in partes quasi dirimitur, scilicet *in morbum nativum*, & *adventitium*, seu *de novo contractum*. Porro morbus hic dici potest nativus duplici sensu: priori proprie, quando æger hoc morbo actu affectus nascitur; posteriori improprie, quando æger non actu eo affectus in lucem prodit, sed dispositus solummodo à nativis

Diff. à causis.

nativis principiis ad eum facile incurrendum. Si libeat lectori in memoriam revocare ea quæ supra de causis hujus morbi ex parte parentum dicta sunt, differentiæ hujus fundamenta ac rationem facile percipiet, ut ulteriori ejus explicatione opus non sit: solum addimus hanc differentiam maximi esse usus in prophylaxi, non tanti autem in therapeia. Morbus hic similiter mere adventitius est, qui, nulla nativa disposition one promotus, de integro, seu de novo post partum contrahitur: atque hic quoque duplex est; vel enim *alium morbum antecedentem consequitur*, vel *ex errore in 6 rerum non naturalium usu immediate producitur*. De utroque satis disseruimus, ubi de causis hujus morbi post partum egimus, quo lectorem remittimus.

Diff. à morbis complicatis.

Denique morbus hic nonnullas differentias admittit *ex parte aliorum morborum, cum quibus in eodem subjecto complicatur*. Non exspectandum, ut omnes morbos, cum quibus possibile est hunc morbum complicari, impræsentiarum enumeremus? eos solos commemorabimus, qui frequentes hujus morbi comites solent deprehendi. Ex his *alii dependentiam quandam ab hoc morbo ejusve causis habent; alii nullam vel perquam exiguam*, vixq; separata consideratione digna.

Prioris generis sunt *Hydrocephalus, dentitionis vitia, asthma, phthisis, febris hectica, febris lenta, erratica, ascites*.

Hydrocephalus magnam obtinet affinitatē cum hoc affectu; cum hic etiā affectus

ctus molem capitis præternaturaliter auctam, affluxumque sanguinis debito uberiorem ad cerebrum ob arteriarum eo tendentium amplitudinem ut plurimum supponat. Atque hinc facile evenit, ut cerebrum sanguinis copia oppressum nonnunquam necesse habeat permittere serosiorem ejus partem (quippe maxime permeabilem) in ventriculos suos & cavitatem intra menynges exsudare, adeoque cerebri hydropem producere. Verum non hoc perpetuo contingit, ut supra monuimus.

Dentitionis etiam *mala* nonnunquam huic morbo antecedenti merito adscribuntur. Notum enim est hoc morbo affectis laboriosam dentitionem plerunque contingere, ipsosque dentes frustulatim excidere. Hoc autem vitium supra ad inæqualem partium nutritionem retulimus, ubi plura de eo videantur. Notandum interim est laboriosam dentitionem posse etiam hunc affectum præcedere, & ejusdem subsequentis esse causam, ut supra quoque ostendimus.

Asthma similiter huic morbo familiariter supervenit, quod sanguis in transitu suo per partes i affectas nonnihil refrigeratus, crassior, viscidior, torpidiorque redditus, non semper perfecte corrigatur ante ejus reditum ad dextrum ventriculum cordis. Unde à dextro ventriculo per venam arteriosam in substantiam Pulmonum ineptior ad transitum resunditur, facileq; eo nomine obstructiones illic frequentes, durosque tumores, asthma, nonnunquã inflammationes, absceſſus,

ſceſſus, ulcera & phthiſin, hydropem Pulmonum, febrim Hecticam, aut etiam lentam erraticam inſert.

Aſcites etiam huic morbo interdum comes eſt. An ex copioſo affluxu ſanguinis ad viſcera abdominis, nondum audemus certo ſtatuere. Certum tamen eſt affluxum ſanguinis ad hunc ventrem ſatis copioſum & concitatum eſſe in hoc morbo. Hepar enim magnum eſt, reliquaque viſcera potius pleniora quam macilentiora debito deprehenduntur. Unde fieri poteſt, ut ſeroſa exſudatio è viſceribus plenitudine oppreſſis in cavitatem abdominis excitetur; ſed hoc minus confidenter aſſerimus, quippe qui nondum in hac re nobis ipſis ſatisfecerimus.

Poſſunt tamen hi memorati morbi puerili ætati accidere abſque Rachitide præcedente, & cauſæ eſſe ejuſdem ſupervenientis. Quin & inſuper poſſunt huic morbo ſupervenire ab aliis cauſis, puta erroribus regiminis ſanitatis: quamvis etiam in hoc caſu affectus hic forte ex parte reus eſſe poſſit, ſi præceſſerit. Atque hæc de morbis complicatis prioris generis.

Poſteriores autem, qui nempe nihil aut parum ſaltem dependentiæ ab hoc affectu habent, ſunt *febris maligna*, *lues venerea*, *ſcorbutus*, *ſtruma*.

1 Certum eſt *febrim malignam* huic morbo ſupervenire poſſe quod ea à contagio plerumque producatur, à quo affectus hic præſens infantes immunes non præſtat. Tantum addimus febrim hanc raro,

raro, aut nunquam originem ſuam huic morbo debere.

2 *Lues Venerea* ſi forte cum hoc affectu complicetur, vel a nutricibus per contagium, vel a parentibus hæreditario jure derivatur. Eſt enim morbus ab hoc plane diſtinctus, nihilque prope commercii cum eodem habet.

3 *Scorbutus* cum hoc affectu interdum conjungitur. Eſtque vel *hæreditarius*, vel forte etiam in tam tenella conſtitutione *per contagium contractus*, vel denique *de novo ex malo regimine infantis, & imprimis ex inclemencia aeris & loci, ubi educatur, productus*. Vix enim majorem habet cum hoc affectu cognationem quam cum cæteris aliis morbis longioris durationis, in quibus ſimiliter, tractu temporis, ſanguis hoc peculiare inquinamentum ut plurimum contrahit. Id tamen concedendum eſt, propter averſationem motus & exercitii, affectum hunc pluſculum ad ſcorbutum diſponere.

4. Et ultimo *ſtrumoſa affectio* aliquando huic aſſociatur. Sed credibile eſt eam plus debere aliis cauſis ſibi propriis, quam huic morbo præcedenti. Quamvis non diffiteamur hunc aliquam invadendi occaſionem poſſe ei ſubminiſtrare, quatenus hic craſſiores ac viſcidiores humores reddit.

Nonnulli forte alii morbi cum hoc interdum complicantur; verum cum ii rariſſimi ſint, & vix dum in certam noſtram obſervationem venerint, eos impreſentiarum præterimus, & ad ſigna morbi, tum differentiarum proximo loco progredimur.

CAP.

Cap. XXI.

Signa morbi Rachitidis & primo Diagnostica.

Signa hujus morbi distinguimus in tria capita. Primum Continet ea *signa, quæ ipsius affectus præsentiam demonstrant*, & appellantur διαγνωστικὰ. Secundum continet ea *quæ distinguunt inter se morbi differentias*, & vocantur διακριτικὰ, sive *discrepantia*. Tertium complectitur signa, *quæ præsagiunt morbi eventum*, dicunturque προγνωστικὰ. Hoc capite de diagnosticis agendum.

Signa διαγνωστικὰ dividimus in παθογνωμονικὰ, & συνδρέμουσα. Atque hic videntur Autores medici paullo strictius, quam necessitas naturę rei requirit, signum παθογνωμονικὸν definire. Volunt enim esse *inseparabile & proprium quarto modo convenire*, scil. *omni, soli, & semper*. Equidem omnino concedendum est, signum ita inseparabile, sive proprium quarto modo, esse secundum maxime proprium sensum, signum *pathognomonicum*. Nam sive præsens id, sive absens sit, semper demonstrative significat: præsens quidem præsentis morbi speciem certo testatur, absens eam morbi speciem abesse demonstrat.

Signum Pathognomonicum latius extenditur.

Verum,

Verum, cum perpendimus quam raro hujusmodi signa occurrant, & quam angusti propterea usus sit futura eorum notio sic restricta; de vocis usitata significatione amplianda cogitare inducimur. Licet enim veteres, ut huic defectui subvenirent, συνδρομὴν παθογνωμονικὴν in locum veri unius pathognomonici stricte dicti substituerint, atque nosmet ipsi eandem συνδρομὴν lubentissime recipiamus & comprobemus; cum tamen ea ipsa συνδρομὴν raro ab ipso initio morbi appareat, & per consequens raro sit signum *inseparabile*, necessario sequitur eam ipsam quoque raro officio signi, *quarto modo proprii*, defungi posse, adeoque hanc etiam notionem ad angustiorem usum esse redactam. Cogimur ergo ut huic incommodo plene subveniamus, nonnihil extendere significationem signi pathognomonici, ita, tamen ut de valore & certitudine significandi nihil remittamus.

Definimus itaque signum Pathognomonicum esse *quid apparens in vel circa ægrotum, quod certo & infallibiliter morbi speciem demonstrat.* Atque in hoc extenso sensu dividi potest in *inseparabile* sive *proprium quarto modo*, & *separabile sive proprium tantum secundo modo*, nimirum *quod soli uni morborum speciei competit, licet non semper.* Similiter & *syndrome pathognomonica* in 2 species prædictis respective analogas dirimatur. Aliquando enim hæc *cum ipso morbo incipit, & eum inseparabiliter ad extremum ejus terminum*

concomitatur. Ita dolor lateris punctorius, febris acuta, respiratio difficilis & tussis, si collective sumantur, syndrome quidem sunt, at quæ uni simplici pathognomonico primi generis, proprio scil. quarto modo æquivalet, & pleuritidem à principio ad finem usque inseparabiliter comitatur. Aliquando vero *non statim ab initio morbi completa est syndrome, postea tamen aliis signis supervenientibus perfecta fit, morbique speciem infallibiliter denuntiat*. Ex. gr. In variolis, incipiente jam morbo, syndrome ipsa adeo incompleta est, ut nondum morbi speciem certo determinet: postea vero erumpentibus sparsim in cute exanthematis ad maturationem tendentibus, consummatur syndrome, speciesque morbi extra dubium posita est.

Quod autem signum uni soli morbo (licet non quarto modo) proprium, sive id solitarium & simplex sit, sive ex syndrome conflatum, sufficiat, quando adest, conficere signum vere pathognomonicum, ex eo liquet, quod, quando adest, æque certo ac infallibiliter morbi speciem designet, ac ipsum signum quarto modo proprium. Quod enim uni tantum speciei convenit, quando adest, præsentiam istius quoque speciei necessario infert. Licet ergo signum secundo modo proprium inseperabile non sit, &, ubi abest, non concludat de absentia morbi, quemadmodum signum quarto modo proprium; quando tamen adest, ejusdem est cum eo valoris ac certitudinis, ut diximus. Medici enim ex certitudine

runt,

significandi æstimant dignitatem signi. In eum quippe finem morbi signa quærunt, ut in certam ejus notitiam deveniant. Cum ergo signa secundo modo propria æquivaleant quoad certitudinem, quando adsunt, signis quarto modo propriis, ea sub extensa signorum pathognomonicorum significatione hic complectemur.

Dicas hoc modo multa signa ἐπιφαινόμενα ad παθογνωμονικὰ reduci, & cum iis confundi. Esto: modo infallibiliter morbi speciem designent. Digna enim sunt, quæ hoc modo ab aliis epiphænomenis segregentur, neque ulla hic confusio in artis semeioticæ methodo sequetur, sed potius valor & dignitas signorum facilius & apertius inde notabitur.

De signis συνεδρεύουσι, sive *assidentibus*, nihil fere alicujus momenti habemus, quod præmoneamus, quin recta ad signa ipsa in ordinem redigenda procedamus. Verum non hic exspectanda est exacta aliqua methodus, cum signa plerumque è tam variis fontibus promanent, ut vix in accuratum ordinem sese cogi patiantur. Quare, ut ea quæ cognatæ sunt naturæ juxta se invicem constituantur, ad sequentem qualemcunque methodum signa hujus morbi reduximus. Proponemus ergo.

1 *Signa quæ ad actiones animales spectant.*
2 *Quæ spectant ad irregularem nutritionem.*
3. *Quæ respirationem respiciunt.*
4 *Quæ ad vitalem influxum pertinent.*

5 *Vaga quædam & extravagantia classes.*
Valorem signorum singulis titulis subjungemus.

1 Signa diagnostica ad actiones animales spectantia. Hæc sunt 1 *laxitas & mollities partium.* 2 *Debilitas & languor.* 3 *Ignavia & torpor.*

1 *Laxitas* quædam & *mollities*, si non *flacciditas*, omnium partium primo affectarum in hoc affectu observari solet. Cutis tactu mollior, & ut plurimum lævior deprehenditur, caro musculosa minus rigida & firma; articuli facile flexiles sunt, sæpeque corpori sustinendo impares; unde erecto corpore antrorsum id. vel retrorsum, dextrorsum vel sinistrorsum nonnihil inflectitur.

2 *Debilitas* quædam & *languor* sive *enervatio* omnibus partibus motui inservientibus accidit. Debilitas hæc multum dependet à laxitate, mollitie, & flacciditate partium jam jam dictis; quo nomine ea signa huic præmisimus, ut & hoc ignaviæ ac torpori proxime enumerandis; quæ multum debent tum laxitati & mollitiei. Porro debilitas hæc incipit ab ipsis primis morbi rudimentis. Si enim intra primum ætatis annum, aut circiter, pueri hoc morbo infestentur, tardius solito pedibus insistunt præ ista debilitate, & plerumque prius loquuntur quam incedunt, quod vulgo apud Anglos mali ominis haberi solet. Sin, postquam ambulare cœperunt pueri, hoc affectu corripiantur, paullatim infirmius pedibus insistunt, atque inter incedendum sæpius vacillant, levique de causa titubant,

titubant, aut etiam cadunt; neque æque diu se pedibus sine interposita sessione sustinent, aut æque alacriter se motitant. Demum multum aucto morbo destituuntur plane usu pedum, immo vix sedere possunt erecti, collumque debile, ægre, aut non omnino onus capitis sustinet.

3 Ignavia quædam & torpor statim ab initio morbi artus invadit, sensimque augetur, ut magis magisque indies omnem motum aversentur. Juniores pueri qui adhuc ulnis nutricum gestantur, si quando lætentur, non æque profuse rident, neque tanto cum vigore excitant se, artusque vibrant ac si e tractantium manibus exsilire gestirent: irati etiam non ita ferociter calcitrant, neque tanta cum animositate plorant ac solent sani coætanei. Grandiores facti, jamque pedibus commissi minus alacriter huc illuc cursitant, citius defatigantur, potiusque sedentes quam pedibus insistentes ludere amant, neque sedentes quidem cum vigore corpus suum erigunt, sed id inclinantes modo antrorsum, modo retrorsum, modo ad alterutrum latus, quærunt sustentacula, quibus recumbentes ignaviæ suæ auxilium præbeant. Jactatione corporis ab aliis præstita motuque violentiore non perinde ac alii pueri oblectantur, immo prevalente morbo omnem jactationem aversantur; tum plorantes non vehementiore aliquo lusu, aut molli placidaque tractatione & quiete placantur. Interim nisi alius aliquis morbus, symptoma, vel caussa morbifica interveniat, moderate tum dormiunt,

unt

unt, tum vigilant, ingenioſi ſunt, non ſtupidi, immo præcocis ſolent eſſe ingenii, niſi aliud quid obſtet. Vultum videre eſt magis compoſitum & ſeverum, quam ætas poſtularet, ac ſi in rem aliquam ſeriam meditabundi eſſent.

Signa hæc ſimul ſumpta, niſi ab evidenti laſſitudine prægreſſa, aut à primario aliquo cerebri affectu proveniant (quod certe riſſime in hac ætate contingit) ſufficientem hujus morbi, σωματομιν παθογνωμονικην primi generis conſtituunt, & ubi ſimul adſunt, morbi præſentiam; ubi ſimul abſunt, morbi abſentiam certo atteſtantur. Si quando vero laſſitudo ſive febrilis, ſive alia ſimilia ſigna proferat, facile ab his diſtingui poſſunt, tum quod cauſæ laſſitudinis præceſſerint, tum quod ſigna inde orta ſubito effulgeant, citoque evaneſcant; in hoc affectu vero ſigna ſenſim ingruunt, permanentque, aut ulterius indies intenduntur. Primarii autem cerebri morbi ſuis ſignis innoteſcunt.

Atque hæc de ſignis, quæ ad actiones animales ſpectant.

Signa quæ ſpectant ad irregularem partium nutritionem.

Supra monſtravimus quanti momenti ſit ἀνομοιομερεια, ſive *inæqualis nutritio partium* in hoc affectu; hic ergo ſigna ab eadem magna ex parte pendentia proſequemur, eaque uno quaſi intuitu conſpicienda præbebimus.

1 Occurrit *caput justo majus, facies* quoque *plenior & floridior*, si conferatur cum cæteris corporis partibus. Licet autem signum hoc præsupponat aliqualem motum morbi antequam eluceſcat, adeo tamen obſcurus eſt morbus ante ejus apparitionem, ut vix perceptibilis habeatur: a primo ergo fere principio ſignum hoc plus minus ſe oſtendit, & ad exitum uſque morbi continuatur, niſi forte aliunde iſtarum partium colliquatio ſupervéniat, ut ſupra monuimus.

2. *Partes carnoſæ*, imprimis *muſculoſæ infra caput*, quas inter primo affectas ſupra numeravimus, in progreſſu morbi magis magiſque *indies atteruntur, extenuantur, macieque conficiuntur*. Hoc ſignum non ſtatim à morbi initio eluceſcit, quod notabilem morbi motum priuſquam evidenter appareat, prærequirat; certiſſime tamen, tractu temporis, in conſpectum venit, morbumque ad extremum terminum, ſeu ad vitam, ſive ad mortem comitatur; optimeque motum ac gradum morbi ex incremento ſuo demonſtrat. Porro hoc ſignum cum priori junctum conſtituit ſignum ſaltem pathognomonicum ſecundi generis, ſive huic morbo ſoli proprium; &, ubi ſimul adſunt, infallibiliter denotant morbi præſentiam, licet non æque ſignificent eundem abeſſe, quando abſunt.

3. *Protuberantiæ* quædam & *nodi circa nonnullos articulos*, maximeque *in carpis* conſpicuæ, paullo minus *in talis* obſervantur. *Similes quoque tumores videas in extremitatibus coſtarum*, quibus cum ſterni cartila-

cartilaginibus committuntur. Notavimus supra in observationibus anatomicis tumores hosce non in partibus, aut in ipsis ossibus sitos esse; licet hęc consideratio, cum ex se vix satis innotescant, eos ut signa vix tangat. Hoc signum quoque aliqualem motum morbi supponit, neque a principio principiante energit; prius tamen se conspiciendum præbet quam notabilis partium extenuatio. Ubi vero adest, pathognomonicum secundi generis conficit, certoque morbi speciem significat.

4 *Ossa nonnulla incurvantur*, præcipue *ossa Tibiæ & Fibulæ*, hinc *ossa Ulnæ & Radii*, sed paullo minus & infrequentius; *aliquando etiam ossa femoris & humeri*. Porro nonnunquam *decurtatio quædam ossium deficiensque eorum accretio secundum longitudinem observatur*. Supra, ubi vitiorum organicorum rationem reddidimus, hoc casu, plane omissum fuit. Videtur autem hic affectus ab eadem irregulari nutritione dependere; quatenus nempe alimentum intus assumptum ossa sec. latitudinem sive crassitiem, magis quam sec. longitudinem adauget. Hinc nonnulli pueri affectu hoc diutius afflicti Pumiliones fiunt. Huc forte referri potest *plica illa in carpis*, quod cutis forsan sec. longitudinem magis nutriatur & excrescat, quam ossa Ulnę & Radii; unde necesse est eam sese in plicam quandam & rugam in carpis contrahere. Demum *irregularis quædam ossium capitis protuberantia*, maxime *ossis frontis antrorsum*, huc quoque referri potest. Spectat enim

enim ad commune genus vitiatæ figuræ ossium eorumque ἀλογοτροφίαν. Videtur autem hæc in osse frontis evidenter pendere a liberaliori nutritione istius ossis in ambitu suo, quo cum ossibus sincipitis committitur, futuramque coronalem constituit, quam in partibus ejusdem anterioribus. Hinc enim necesse habet antrorsum protrudi. Et facilius quidem istic liberalius nutritur, quod hoc os versus futuram in pueris cartilagineum sit. Atque hoc etiam, quod nuperrime tantum observavimus, superius, ubi de vitiis organicis egimus, prætermissum fuit.

5 *Dentes tum tardius, tum molestius erumpunt, levi occasione vacillant, aliquando nigrescunt, aut etiam frustulatim excidunt. In horum locum plerumque novi tarde ac laboriose succrescunt.* Hoc genus signi, ut & illud in priori articulo notatum, ad σωματρέυοντα referri potest, quod neutrum horum vel perpetuo adsit, vel, ubi adest, certo morbi præsentiam confirmet.

Conjecterunt aliqui ossa in hoc affectu interdum esse flexibilia instar ceræ; sed nos nusquam id vidimus, neque ab oculato teste fide digno relatum audivimus. Quare ut fabulosum hoc signum plane rejicimus.

6 *Pectus in ulteriori morbi progressu, à lateribus angustius redditur, anterius acuminatur*, ita, ut non incommode comparetur figuræ carinæ navis inversæ, aut pectoris caponis. In medio enim utrinque in cacumen quasi compressis lateribus assurgit. Si quis quæ at an signum hoc sit huic morbo soli proprium?

Respon-

Respondemus, fieri quidem posse in atrophia aut phthisi ut pectus parum augeatur, minusque quam aliæ corporis partes adeoque reddatur angustum: verum quoad figuræ mutationem, absque ἀλογοτροφία, ea ipsa vix. quæ huic affectui propria est, vix contingere posse. Quare hoc quoque signum quando adest, licet serius invadat, pathognomonicum secundi generis reputamus, quod scil. ubi adest, certo morbi species ostendit, quamvis non è contra. Atque hæc de signis quę spectant ad inęqualem nutritionem.

Signa quæ respiciunt Respirationem.

1 Huc referre potest *angustia pectoris* modo memorata, de qua tunc susius egimus.

2 *Subtumida quædam Abdominis repletio, & hypochondriorum tensio*; quę liberum motum diaphragmatis deorsum, atque adeo respirationem nonnihil impedit. Notandum tamen est Abdomen & hypochondria quoad partes externas satis macra & extenuata apparere, ab intus verò, ab iis nimirum quæ in Abdominis cavitate continentur, intumescere, unde plenitudo hæc atque tensio exsurgit. Tumor hic partium a flatulentia ventriculi & intestinorum, partim a magnitudine Hepatis aliorumque viscerum provenit. Aliquando etiam huc conspirat serosa exsudatio in cavitatem Abdominis, Ascitem invehens. Hoc signum perpetuo fere adest, neque tamen pro pathogno-

thognomonico habendum, cum multis aliis morbis sit commune.

3. *Tussis* frequenter in hoc affectu adest, tum *respiratio difficilis, multaque alia pulmonum vitia*, ut & *eorum infarctus, tumores duri, abscessus, inflammationes, eorum coalescentia cum pleura*; & similia: Hæc tamen vix inter signa recenseri debent, quod per se non satis evidenter in sensus (dum vivunt ægri) incurrant.

4. Pueri hoc morbo afflicti sæpe *lateralem decubitum modo dextrum modo sinistrum aversantur*, aut saltem ægrius ferunt; nimirum vel ob coalescentiam pulmonũ cum pleura, vel tumorem in adverso latere; supino vero decubitu ut plurimum delectantur. Atque hæc signa etiam simul sumpta pathognomonicum neutriusgeneris efficiũt, sed σωνεδρεύοντα tantum sunt, morbisque aliis communia.

Signa quæ spectant ad vitalem influxum.

1. *Venæ & arteriæ in partibus primo affectis graciliores sunt debito, minusque conspicuæ quam in emaciato corpore expectares. In facie vero* (habito respectu prędictæ gracilitatis in aliis partibus) *excedunt proportionem debitam.* Hoc signum fortasse pathognomonicum est, quamvis observatu difficile, necdum nobis satis exploratum.

2 *Pulsus in carpis, tum aliis partibus primo affectis exilis est & debilis*, alioquin forte moderatus, nisi una febris adfuerit.

3 *Ligatura moderata supra cubitum aut*

genu

genu injecta, non æque cito partem infra seu extra ligaturam sanguine turgidulam & coloratam reddit, ac solet in aliis pueris sanis coætaneis.

Signa quædam vaga.

1 *Appetitus cibi & potus vel moderatus, vel justo debilior est,* nisi febris forte adfuerit.

2 *Excrementa tum alvi, tum vesicæ, sanorum fere similia sunt,* nisi alius morbus prohibuerit.

3 Observatum est hoc morbo laborantes *dulcia, ut syrupos, tum bellaria, multo sacch. aut melle condita* (quæ aliis pueris in delitiis esse solent) *aversari:* forte hæc iis quoque noxia sunt, quemadmodum & scorbuticis, quod humores incrassent.

4 Observarunt aliqui se pueros nonnullos hoc morbo affectos *ponderosiores* deprehendisse, quam alios ætate & statura pares. Si hoc ita se habeat, tribuendum id est partim facilitati, partim inæqualitati nutritionis ossei generis in hoc affectu. Etenim cum auctum hoc pondus carnibus adscribi vix possit, quippe quæ hic extenuatæ sunt videtur id osseo generi attribuendum; cumque ossa in hoc morbo nondum observata sint sec. longitudinem præter modum excrescere, restat, ut id eorum crassitiei superflue auctæ imputetur. Hęc etiam signa communia sunt, neque digniorem æstimationem merentur. Atque hæc de diagnosticis, sequuntur diacritica.

CAP.

CAP. XXI.

Signa differentiarum Rachitidis, sive signa ejus diacritica.

EIdem methodo hic insistendum videtur, quam supra proposuimus, ubi de differentiis egimus, quarum signa hic quærimus. Supra 5 differentias ab ipsa morbi essentia diduximus. 1 Erat à partibus essentiæ secundariæ separabilis præsentibus vel absentibus. Verum hujus differentię signa nulla alia exspectanda sunt præter *ipsas partes præsentes vel absentes*, quę ipsæ per se in sensus incurrunt, & propterea inter signa diagnostica capite præcedenti classe secunda adnumerantur.

2 Differentia erat à magnitudine morbi. Hujus indicia sunt *plura & graviora, vel pauciora & mitiora symptomata & signa præsentia*, nempe ex diagnosticis supra descriptis petita.

3 Differentia à vehementia desumpta erat; hæc distinguitur *ex tardiore vel concitatiore incremento signorum diagnosticorum.*

4 Erat à viribus ægrotantis. Virium æstimandarum rationem supra exhibuimus: morbi vero differentia hinc orta respicit *periculum*, ideoque ejus signa ad prognostica referimus.

5 Differentia ducebatur a morbi tempo-

ribus;

ribus ; quo respectu sex hujus morbi diversas phases supra enumeravimus : scil. *principium, augmentum, statum, augmentum supra statum, declinationem veram, declinationē nothā sive migrantem in alium morbum.*

Sciendum est principium hujus morbi præter signa hoc tempus ab augmento disterminantia, requirere etiam quædam peculiaria signa præsentię ipsius morbi : Est enim tempus maximæ obscuritatis, quo morbus quasi delitescit, neque ex signis diagnosticis supra relatis ab inexperto vel parum attento medico facile deprehendi potest. Per hoc quippe tempus plurima diagnostica prædicta nondum in apertum erumpunt ; & quæ se produnt, obscuriora tantum adhuc sua vestigia observanda offerunt. Postulat ergo hujus temporis indicium *peculiarem collectionem signorum primo apparentium*, eorumque accuratam considerationem ; reliqua vero tempora, præter signa diagnostica supra data, *sola indigent discriminatione inter se*, quæ levi negotio perficitur. Quare primo loco signa præsentiæ hujus morbi adhuc incipientis hic exhibenda, indeque discriminationis ejus ab augmento.

Signa præsentis morbi rachitis in principio adhuc existentis.

1 Diligentur *attendendum est ad 3 signorum genera superius actionibus animalibus adscripta* : laxitatem nempe & mollitiem partium, debilitatem & languorem, ignaviam & torporem. Hæc quippe subobscure & remissiori gradu statim à principio principiante (ut loquuntur) advertenti observanda se præbent.

2 As-

2 *Aspiciendus est color, tum habitus capitis & facieiin relatione ad artus.* Si enim color aut habitus illis floridior sit quam his, validam suspicionem hujus morbi radices jam agentis exhibet. Licet enim moles capitis evidenter aucta, partiumq; affectarum manifesta extenuatio antequam apparent considerabilem morbi motum tempusque prærequirant; à principio tamen differentia quædam ratione coloris & habitus harum partium inter se collatarum ab accurato inspectore notari potest.

3 *Observandi sunt carpi & extremitates artuum.* In carpis quippe ante finē principii quædem nodorum rudimenta ut & plicæ se ostendere incipiunt, similiterque nodi in extremitatibus costarum.

4 *Subtumida quædam plenitudo & sensio ventris* maxime circa hypochondria statim à principio occurrit. Magnitudo enim ventris cum magnitudine pectoris collata justam proportionē excedere comperitur.

Atque hæc quidem signa simul sumpta præsentiam morbi etiam in ipso principio, certo demonstrant. Si vero eodem tempore nulla notabilis seu manifesta partium affectarum extenuatio appareat, eo ipso ab ejusdem augmento clare discriminatur. Hæc de principio.

Reliquorum temporum signa ex ipsorū temporum descriptionibus supra datis inter se nullo negotio distinguntur; eum tamen ea huc spectent, verboque expediri possint, non gravabimur ea obiter annotare.

In augmento omnia signa quæ in

principio

principio apparuerant *intensiora & evidentiora* se prebent, pluraque alia & graviora indies accumulantur. Distinguitur hoc tempus, ut dictum, à principio manifesta extenuatione partium primo affectarum jam facta; à statu vero continua aggravatione symptomatum & signorum dictorum.

In statu signa ac sympotomata *gravissima & maxime obvia* adsunt; durante vero hoc tempore ab ulteriori manifesto seu incremento seu decremento cessat. In augmento supra statum signa & symptomata *tum ratione magnitudinis ac vehementiæ, tum ratione dejectionis virium superant suam conditionem, quam in statu mediocri habent, atque interim indies in deterius vergunt*; quibus respectibus hoc tempus distinguitur tam ab augmento ordinario, quam à statu mediocri.

In declinatione vera *simplex quædam remissio symptomatum ac signorum ad integram sanitatem tendens* affulget, nullis interim signis apparentibus alterius cujusdam morbi ingruentibus.

In declinatione notha è contra, *cum remissione symptomatum & signorum hujus morbi involvuntur alia novi morbi successuri*, quæ variantur pro varia ejus conditione, & ex suis fontibus petenda sunt, neque hic exspectanda. Porro si quæ specialia signa cujusvis horum temporum occurrant, quæ ad morbi eventum spectant, ad prognostica reservanda sunt. Atque hæc de signis differentiarum hujus morbi ab essentia deductis.

Differentiæ causarum, morbum in *nativum*

tivum & adventitium distinguunt, & *nativum* quidem *in proprie & minus proprie sic dictum*. Morbus proprie nativus dictus, cum ab ipso partu supponatur actu præsens, non alia requirit signa quam *diagnostica superiori capite recitata*. Siquidem illa statim à partum apparentia morbū proprie nativum adesse demonstrant.

Sin vero illa signa non statim à partu appareant, dispositio tamen nativa ad morbum facile incurrendum ab ortu adsit, quæ postea in actum erumpit, morbus inde productus nativus quoque (licet minus proprie) nuncupari potest, propter illam à nativo vitio dependentiam. Morbus hoc sensu nativus alia signa quam quæ supra referuntur, postulat, quibus distinguatur ab eodem morbo plane adventitio, quæ jam damus.

Signa morbi nativi improprie sic dicti.

1 *Valetudinaria debilisque constitutio, & morbi parentis utriusq; vel alterutrius*; ut intemperies frigida & humida, cacochymia præsertim pituitosa, cachexia, hydrops, vel atrophia & phthisis, vel gonorrhœa, fluor albus, lues venerea, scorbutus, similesque affectus.

2 *Segnities & sedentaria parentum vita mollitiesque.*

3 *Errores matris tempore impregnationis*; quæ omnia fusius supra de causis hujus morbi ad parentes spectantibus prosecuti sumus.

4 *Debilitas ipsius infantis recens nati* quando ea à labore parturitionis non provenit.

5 *Invasio morbi ante exactum primum ætatis annum.* Hæc enim arguit nativam aliquā ad eundē dispositionem. 6 *Si*

6. *Si fratres vel sorores seniores eodem morbo prius correpti fuerint.* Tum quippe suspicari licet labem à parentibus contractam esse.

7 *Si nullas alicujus notæ error in tractatione infantis post partum, atque ante præsentis morbi invasionem commissus fuerit.* De quo supra capite de caussis post partum.

8 *Si morbus hic non supervenerit alteri prægresso qui aptus est hunc post se relinquere.* De cujus generis morbis supra quoque diximus.

Signa morbi noviter & ex integro post partum contracti *contraria propemodum sunt* & levi idcirco pede percurrenda.

1 *Si morbus nulli infirmæ seu morbosæ constitutioni parentum, aut eorum vitæ generi, aut erroribus, imputari possit.*

2 *Si nulla debilitas statim à partu apparuerit.*

3 *Si morbus post sesquiannum ætatis cæperit.*

4 *Si fratres aut sorores à morbo immunes fuerint.*

5 *Si notabiles errores post partum in tractatione infantis commissi fuerint.*

6 *Si morbus aliquis præcesserit, cui suspicio est hunc insequentem adscribi posse.* Hæc signa si vel omnia vel plura confluant, satis testantur morbum hunc non labi alicui nativæ, aut erroribus postea commissis attribuendum esse. Atque hæc de differentiis hujus morbi ex parte causarum.

Denique differentiæ quædam huic morbo accidunt propter alios morbos, cum

cum quibus forte complicetur: in quo casu præter signa diagnostica supra enumerata, alia insuper desiderentur quæ morbo complicato in specie sunt propria. Non tamen accurata horum descriptio hic exspectanda est, cum eadem fere sint quę a scriptoribus practicis passim istis morbis tribuuntur. Sed cum aliqui morbi frequentius quam alii hunc comitari soleant, eorum signa breviter innuemus.

1 Ergo *Hydrocephalus* cum hoc affectu complicatus aliquando nullis signis, ut innotescat, opus habet; sed ex se satis superque manifestus est, nempe vel ex *ipsa enormi capitis magnitudine*, vel *ex aquæ exterius sub Pericranio contenta* (quod tamen rarissime contingere putamus) vel *insigni futurarum hiatu aquæ in capite conclusæ duram matrem inter futuras attollentem, ita, ut tumor mollis & aquosus in ossium interstitiis exterius tactu percipiatur.* Aliquando hydrocephalus obscurior est, signaque, quibus indicetur, postulat. 1 Ergo *omnes sensus cum exteriores tum interiores hebetiores sunt, quam alias in hoc affectu esse solent.* 2 *Moles capitis aliquanto major quoque est quam alias.* 3 *Suturæ in locis consuetis vel magis dehiscunt, vel tardius solito clauduntur.* 4 *Os frontis antrorsum magis prominet, reliquaque ossa capitis quasdam inæqualitates & protuberantias solito majores præ se ferunt.*

2 *Dentitionis mala* conjuncta dignoscuntur, 1 *Si solenne dentitionis tempus instet aut jam advenerit*; Hinc quippe suspicio aliqua ingruit laboris alicujus inde

prove-

provenientis. Tempus hoc septimo a partu mense incipere solet, & ad sesquiannum ætatis protendi, & ultra, ubi tardius dentitio procedit; quod in hoc affectu frequentissime accidit; terminatur autem ubi numerus dentium completus apparet. 2 Pueri ad dolorem mulcendum *digitos frequenter in os inducunt*, secundum illud quod communi verbo dici solet, *ubi dolor ibi digitus*. 3 *Albicant gingivæ ea parte qua dens eruptums est, & ad tactum pluisculum calent*. 4 *Dentes prodeuntes aliquando nigrescunt, aut vacillant, aut etiam fruſtulatim extidunt*. 5 His adde *vigilias, alvi profluvia, febres, convulsiones*, quæ tamen fortuita sunt symptomata.

3 *Asthma* ex *ipsa spirandi difficultate*, quando ea non provenit à tensione & repletione infimi ventris, percipitur. Si vero una ad sit *tumor, abscessus, vel Empyema*, idque *in altero latere pulmonum*, *ægre feruni decubitum in adversum latus*; sin *in utroque, supinum aut erectum decubitum expetunt*. Idem plerumque accidet *in inflammatione cum coalescentia Pulmonum cum pleura*, ut & in *pleuritide*: sed *additis tunc febre acuta, tussi & sputo sanguineo* in Pleuritide insuper *dolore lateris pungente*. *Phthisis* innotescit *ex diuturna tussi, sputo globoso & aliquando purulento* (etsi Pueri rarius exspuant, quod materiam tussi in os elevatam per Œsophagum deglutiant) item *ex febre putrida conjuncta & ex festina partium eliquatione*. *Ascites* deprehenditur *ex mole Abdominis præter morem aucta*.

4 *Febris Hectica* se prodit *ex calore continuo, acriori paullo illo qui in Ephemera solet esse, præsertim circa arterias, & auctiori post assumptum cibum; item ex rapidiori partium consumptione; putrida* cognoscitur *ex urina in principio cruda, deinde magis cocta, tum* etiam *ex colore ejus juste intensiore.* Ad hæc, *si intermittens fuerit, ex inæqualitate caloris, frigentibus nempe extremis in principio, postea plus satis incalescentibus;* item *ex Paroxysmis sive statis, sive erraticis;* tandem *ex Pulsu contractiori incipiente Paroxysmo, postmodum auctiori debito. Continua Febris ex intenso continuoque calore, tum siti, oris scabritie, linguæque colore mutato, & similibus.*

5 *Lues venerea* conjuncta indicatur. *si Parentum alteruter aut nutrix prius infecti fuerint, si ulcera in Capite, Ore, ac Naribus, aut pustulæ eminentes vel crustosæ exortæ fuerint, præsertim quæ ordinariis remediis non cesserunt: si tumores duri aut nodi ossa carie fœdantes in digitis, tibiis, aut aliis partibus apparuerint; si dolores & inquietudo nocturno tempore acerbiores ægrum infestaverint? si buboncs obliqui in inguine exorti fuerint.*

6 *Scorbutus* cum hoc affectu complicatus hæc signa habet. 1 *Utroque affectu laborantes ægrius purgationes ferunt, sola vero Rachite afflicti easdem facile tolerant.* 2 *Exercitiis violentioribus multum lædunter, neque omnino ea ferre possunt.* Etsi autem in hoc affectu solo, ignavia quædam & aversatio exercitii adsit; non tamen ab exercitio manifeste aut saltem non æque manifeste lædunter, nisi

scorbutica

scorbutica affectio simul conjuncta sit.
3 *Ad motum quemlibet concitatiorem magna difficultate spirandi laborant, doloribus variis per artus discurrentibus vexantur, quos ploratu exprimunt, pulsus frequentior & inæqualior fit, aliquando palpitatio cordis, aut etiam Lipothymia supervenit, & hæc fere sola quiete, placido nempe decubitu, cito mitigantur, vel etiam plane sedantur.*
4 *Frequenter Gingivarum tumores adsunt.*
5 *Urinæ absente febre solito intensiores plerumque redduntur.*

7 *Strumosa affectio* cum hac complicata si *externa* sit, *tumoribus in sensus incurrentibus* satis manifesta fit, immo ubi exterius frequentiores strumæ occurrunt, non levis suspicio est similes tumores in visceribus delitescere; alias vero si strumæ intus tantum generentur, vix certo indicio discerni possunt. Regula enim illa quam notarunt aliqui, viz. eos qui curto sunt collo, fronte brevi & angusta, temporibus compressis, & maxillis amplis præditi, esse strumis obnoxios, nimis incerta est ac fallax; addunt alii purgantia medicamenta justa alioquin dosi propinata strumosos parum movere; sed & hoc quoque aliquando tantum, non semper autem verum esse experti sumus. Hæc de signis differentiarum.

CAP.

Cap. XXIII.

Signa prognostica in morbo Rachitide.

MOrbus hic *specie sua lethalis non est*, immo nonnunquam adeo levis mitisque est, ut pueri eo affecti solo ætatis beneficio, calore vitali aucto, eoque, vi frequentiorum exercitiorum, ad partes externas evocato, absque medicamentis convaluerint. Aliquando tamen adeo graviter affligit, ut optimis etiam adhibitis præsidiis, vix, immo ne vix quidem, imminens vitæ periculum præcaveatur. Quare ut medicus varios eventus morbi prævideat aut prædicat, signa ejus prognostica diligentius prius contemplari necessum habet.

In genere vero ea quæ a partibus morbi militant, ea nempe omnia, quæ contra naturam faciunt, ex adverso pensitanda sunt, & quo hæc potentiora, illa infirmiora, eo gravior & pernicioſior morbus habendus est. Verum cum non cuivis obvium sit ex generali hoc monito singula satis accurate contra æstimare, non erit abs re speciales nonnullas regulas & observationes huc spectantes insuper subnectere.

1 *Morbus hic proprie nativus, sive qui ante*

ante partum invadit, periculosissimus est, & variissime, si unquam, ad salutem terminatur. Indicat enim ipsa principia seminalia læsa, indeque vires valde esse debiles: caussarum præterea vehementiam significat.

2 *Quo citius à partu* (hoc est) *quo juniores hic morbus invadit, eo cæteris paribus periculosior est*; tanto quippe debiliores sunt vires. Similiter *ætate grandiores junioribus, pedibus incedentes non incedentibus facilius curantur.*

3 *Morbus nativus impropriè sic dictus*, qui nempe ex parte dependet ab inclinatione nativa, *periculosior est eo, qui ex mero errore tractantium contrahitur.*

4 *Morbus hic ab aliis magnis morbis præceden-tibus proveniens, periculosior est eo qui solo regiminis errore contractus est.* Arguit enim antecedaneam quandam virium dejectionem.

5 Observarunt aliqui, *infantes, qui crine rubras nutrices sugunt, in hunc affectum magis esse proclives.* Nos tamen regulam hanc fallacem esse suspicamur.

6 Alii dicunt *puellas frequentius quam masculos hoc morbo laborare, faciliusque curari.* Nondum equidem hoc nobis usque adeo compertum est. Concedimus tamen puellas plerumque frigidioris ac humidioris esse temperamenti, cui magis congener est hic morbus, ideoque non est à ratione alienum eum sexum leviori de caussa hoc morbo affici posse, & ab eodem quoque facilius liberari.

7 *Morbus hic potissimum infestat generosorum cunas, præsertim eorum qui molliter*

vivunti

vivunt; deinde eorum qui sedentariam & securam vitam agunt; hinc *infimæ plebis*, propter varios errores, quos necessitas tam in parentum diæta quam infantium regimine infert, tandem *minime omnium curas eorum qui mediocris sunt fortunæ, & qui laboribus ferendis assueti sunt*, neque competenti victu & necessariis ad vitam sustentandam mediis destituuntur.

8 *Quo partes primo affectæ magis extenuantur, eo morbus, cæteris paribus, difficilioris est curationis.*

9 *Quo enormior est moles capitis, eo longior & difficilior curatio.* Itaque os frontis multum anterius protuberans longitudinem saltem morbi portendit; similiter etiam aliæ irregulares cæterorum ossium capitis prominentiæ.

10 *Quo debilior est spina dorsi, eo gravior & periculosior est morbus.* Quare qui vix libenter erecti sedent, multo magis qui ne erecti sedere valent, & maxime quibus debile collum non sustinet capitis onus, de vita periclitantur. Quinetiam à diuturniori debilitate, & inflexione spinæ, pueri modo gibbosi, modo aliter incurvi redduntur, truncusque corporis postea haud facile denuo erigitur.

11 *Majores ossium in carpis & costarum extremis tumores morbi longitudinem præsagiunt.* Porro *incurvationes ossium Tibiæ & Fibulæ vel Ulnæ & Radii*; item *inflexiones articulorum quo majores, eo longiorem & difficiliorem curationem prænuntiant.* Hæ enim non subito amoveri possunt. & masculis exercitiis obeundis impedimento sunt.

12 *Quibus ossa Crurum & Tibiæ multum & diu secundum latitudinem seu crassitiem potius augentur, quam secundum longitudinem, hi demum pumiliones plerumque evadunt*

13 *Qui crura sursum trahunt, neque ea lubenter extendi patiuntur, difficulter curantur.*

14 *Dentes nigrescere aut frustulatim excidere, periculo non vacat, atque id eo pejus est quo tardius alii in eorum locum succrescunt.*

15 *Qui statum morbi attingunt, quo nempe is non amplius augetur, omnes si recte tractentur, evadunt, nisi forte alius morbus sit conjunctus, aut casu aliquo supervenia, ægrumque in augmentum ulterius deturbet. Declinatio symptomatum similiter, sed certius sanitatis restitutionem pollicetur.*

16 *Hydrocephalus cum hoc morbo conjunctus semper periculum non leve importat. Quod si eo usque præva eat, ut futuræ cranii multum dehiscant, atque in earum interstitiis aquæ in capite concluſæ duram matrem in mollem & aquosum tumorem attollant, lethalis est.*

17 *Dentitio laboriosa, nonnunquam gravissima symptomata secum adfert, mortemque ipsam minatur. Plerumque tamen minus ferocit, atque intra paucos dies terminatur. Utcumque, dum conjungitur, multum morbi motum accelerat.* Dentes vero Canini, qui oculares vulgo nuncupantur, cæteris molestius erumpunt, pluſque periculi portendunt.

18 *Asthma præsertim Orthopnœa, atque ea spirandi difficultas in qua decubitus in*

genitum

neutrum latus admittitur) *valde periculosum.* Suspicio enim est tumoris alicujus abscessus, Empyematis, Pleuritidis, Peripneumoniæ aut adnascentiæ pulmonum cum pleura, qui omnes affectus periculosi sunt.

19 *Phthisis cum hoc affectu complicata lethalis ferme est, præsertim si unum idemque ulcus pulmonum ultra 40 dies perseveraverit.*

20 *Morbus hic diuturnior facile in Phthisin vel Tabem migrat, vel saltem ante obitum Tabem sibi comitem perpetuo fere adsciscit, nisi forte alius morbus aut symptoma grave interveniens accelerata morte Tabem advenientem prævertat,* ut convulsio, tussis clangosa dicta, intumescentia Pulmonum (quam Angli **the rising of the Lights**, vocant) febris continua, pleuritis, &c.

21 *Hydrops Pulmonum, ut & Ascites, si forte huic morbo associentur, eundem reddunt deploratum.*

22 *Febri Hectica, Lenta, Putrida, maximeque continua, partes primo affectas depascendo, hujus morbi motum vehementer accelerant, eumque periculosum efficiunt.*

23 *Lues Venerea cum hoc morbo conjuncta sive hæreditaria, sive ex contagio contracta, difficilem admodum, si ullam, curationem admittit.*

24 *Scorbutus complicatus multum quoque difficultatis in curatione secum adfert, licet minus quam Lues venerea.*

25 *Strumæ sive externæ, sive minores internæ non ex se tantopere obstant curationi, licet alias ipsæ aliquando in hac ætate difficillime*

ficillime percurentur. Externæ enim exulceratæ, aut inflammatæ simulque dolorificæ, vehementer naturam lacessunt, viresque dissipant, multo autem magis internæ, præsertim si partes nobiles occupaverint, aut ipsa mole vicinis partibus molestæ fuerint.

26 *Quicunque ante annum quintum ætatis completum non perfecte sanantur, postea miseri ac valetudinarii ferme vivunt, & vel Asthmatici, vel Cachectici, vel Phthisici facti ante consistentem ætatem moriuntur, vel saltem gibbosi, nani, curvi, aut aliter deformes postmodum supersunt.*

27 *Scabies & pustulæ in cute, pruritusve huic morbo supervenientes, ad curam ejusdem multum conferunt.*

28 *Qui facilius tolerant omnimodam jactationem corporis, cæteris paribus, facilius curantur.*

Atque ita tandem absolvimus trium generum signorum, quæ hactenus in nostram observationem occurrerunt, historiam. Proximum est ut ad methodū praxeos, quæ præcautionem & curationem hujus morbi complectitur, deveniamus.

CAP.

CAP. XXIV.

Methodus ad Praxin, tum Indicationes in genere.

METhodus ad praxin in θεραπευτικὴν & προφυλακτικὴν, *in partem Curatricem & Præservatricem* dividitur. De priore nobis hoc capite agendum, quamvis forte hic quoque nonnulla in genere proponenda sint, quæ cum Prophylacticæ, tum ὑγιεινῇ sint communia. Prophylacticen autem in specie ad calcem hujus tractatus reservamus.

Pars Curatrix appellari solet *Methodus medendi*, cujus, ut cujuslibet alius Artis, duo sunt generalia instrumenta, *Ratio* scil. atque *Experientia*; quarum conjugium omnem artificis peritiam exhaurit. Per experientiam autem intelligimus *non tantum historiam morbi unius aut plurium, successusque medicamentorum; sed & observationem*, hoc est, *applicationem historiarum ad ea, quæ in eodem affectu dictat ratio, idque per viam comprobationis vel improbationis.* Similiter per Rationem *omnem mentis operationem* volumus, ita, ut non tantum *tertiam* nempe *ratiocinationem seu demonstrativam, seu probabilem & analogismum*, verum insuper & *primam & secundam*, hoc est, *simplicem apprehensionem tum compositionem ac divisionem*

visionem hoc instrumento complectamur. Etenim, pars hæc medicinæ præsupponit *Physiologiam, Pathologiam, & Semeioticem*, quæ certe uniuscujusque operationis intellectus exercitium multifariam exigunt. Deinde, nemo aliquam propositionem intelligat, qui non prius simplices ejusdem terminos apprehenderit; neque syllogismum, qui ignarus fuerit propositionum è quibus conflatur: ut manifestum jam sit omnem mentis operationem hic exerceri.

Indicatio, Ἔνδειξις, nobile illud methodi medendi instrumentum, (cujus usu Dogmatici sectam suam ab Empiricis maxime discriminari volunt) partibus Rationis etiam venit accensenda. Quandoquidem autem nonnulla cum difficilia tum obscura occurrunt circa hoc instrumentum ab ipsis neotericis vix dum enodata & illustrata, operæ pretium duximus hic paucis examinare.

I *Quid sit Indicatio?*

II *Ad quam intellectus operationem pertineat?*

III *In quæ genera & differentia distribuatur?*

Quid Indicatio.

Quod ad primum attinet, licet forte plures hujus nominis significationes apud Autores occurrant, illa tamen prima & maxime propria est quam tradit Galenus *Meth. Med. 7.* Ἔνδειξις ἐστιν ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας. Indicatio est *insinuatio* seu *declaratio consequentiæ*, id est, *rei agendæ*. In hoc sensu definiri & describi potest indicatio, *Actio objectiva*

Indicantis

Indicantis relative consideratâ quæ repræsentat intellectui Indicatum, hoc est, quid conferat, quid noceat, & per consequens, quid prosequendum, quid fugiendum sit. Ut definitio hæc seu descriptio clarior reddatur, expendamus ulterius *quid sit Indicans? quid Indicatum? qualis sit actio Indicantis? quo spectet distinctio Indicati juvantis & nocentis, sive prosequendi & fugiendi?*

1 Quamvis termini illi *Indicatio, Indicans*, & *Indicatum*, extendi forte ad alias artes et scientias possit; cum tamen hactenus industria medicorum (præsertim Galeni) soli methodo Praxeos approprientur, eorum definitiones, quæ hic exhibendæ, hanc solam methodum, omisso omni alieno eorum usu, respiciunt.

Generalis igitur Indicantis definitio à natura generalissima, quæ in nostra arte indicat, petenda est. Definiri ergo potest *Indicans* in genere, *status corporis qua fluxilis, vel mobilis*, seu potius, *qua actu est in fluxu vel motu, relative consideratus, prout insinuat quid sit agendum sui causa.* Quid Indicans.

Dicimus primo Indicans semper aliquem *statum* vel *conditionem corporis* innuere; quare quod extra corpus est, ac nondum id afficit, cum non sit conditio seu status corporis, haud recte dicitur indicare. Causa ergo externa, & nondum corpus afficiens, non est Indicans, licet forte ejus aversio possit esse Indicatum. Secundo status corporis *qua fluxilis*, vel *qua mobilis*, seu potius *qua actu est in motu*, ad essentiam Indicantis requiritur. Etenim

ante partum invadit, periculosissimus est, & variissime, si unquam, ad salutem terminatur. Indicat enim ipsa principia seminalia læsa, indeque vires valde esse debiles: caussarum præterea vehementiam significat.

2 *Quo citius à partu* (hoc est) *quo juniores hic morbus invadit, eo cæteris paribus periculosior est*; tanto quippe debiliores sunt vires. Similiter *ætate grandiores juvioribus, pedibus incedentes non incedentibus facilius curantur.*

3 *Morbus nativus improprie sic dictus*, qui nempe ex parte dependet ab inclinatione nativa, *periculosior est eo, qui ex mero errore tractantium contrahitur.*

4 *Morbus hic ab aliis magnis morbis præceden-tibus proveniens, periculosior est eo qui solo regiminis errore contractus est.* Arguit enim antecedaneam quandam virium dejectionem.

5 Observarunt aliqui, *infantes, qui crine rubras nutrices sugunt, in hunc affectum magis esse proclives.* Nos tamen regulam hanc fallacem esse suspicamur.

6 Alii dicunt *puellas frequentius quam masculos hoc morbo laborare, facilius que curari.* Nondum equidem hoc nobis usque adeo compertum est. Concedimus tamen puellas plerumque frigidioris ac humidioris esse temperamenti, cui magis congener est hic morbus; ideoque non est à ratione alienum eum sexum leviori de caussa hoc morbo affici posse, & ab eodem quoque facilius liberari.

7 *Morbus hic potissimum infestat generosorum cunas, præsertim eorum qui molliter vivunt;*

vivunt; *deinde eorum qui sedentariam & securam vitam agunt*; hinc *infimæ plebis*, propter varios errores, quos necessitas tam in parentum diæta quam infantium regimine infert, tandem *minime omnium curæ eorum qui mediocris sunt fortunæ, & qui laboribus ferendis assueti sunt*, neque competenti victu & necessariis ad vitam sustentandam mediis destituuntur.

8 *Quo partes primo affectæ magis extenuantur, eo morbus, cæteris paribus, difficilioris est curationis.*

9 *Quo enormior est moles capitis, eo longior & difficilior curatio.* Itaque os frontis multum anterius protuberans longitudinem saltem morbi portendit; similiter etiam aliæ irregulares cæterorum ossium capitis prominentiæ.

10 *Quo debilior est spina dorsi, eo gravior & periculosior est morbus.* Quare qui vix libenter erecti sedent, multo magis qui ne erecti sedere valent, & maxime quibus debile collum non sustinet capitis onus, de vita periclitantur. Quinetiam à diuturniori debilitate, & inflexione spinæ, pueri modo gibbosi, modo aliter incurvi redduntur, truncusque corporis postea haud facile denuo erigitur.

11 *Majores ossium in carpis & costarum extremis tumores morbi longitudinem præsagiunt.* Porro *incurvationes ossium Tibiæ & Fibulæ vel Ulnæ & Radii*; item *inflexiones articulorum quo majores, eo longiorem ac difficiliorem curationem prænuntiant.* Hæ enim non subito amoveri possunt. & masculis exercitiis obeundis impedimento sunt.

12 *Quibus ossa Crurum & Tibiæ multum & diu secundum latitudinem seu crassitiem potius augentur, quam secundum longitudinem, hi demum pumiliones plerumque evadunt.*

13 *Qui crura sursum trahunt, neque ea lubenter extendi patiuntur, difficulter curantur.*

14 *Dentes nigrescere aut frustulatim excidere, periculo non vacat, atque id eo pejus est quo tardius alii in eorum locum succrescunt.*

15 *Qui statum morbi attingunt, quo nempe is non amplius augetur, omnes si recte tractentur, evadunt, nisi forte alius morbus sit conjunctus, aut casu aliquo superveniat, ægrumque in augmentum ulterius deturbet. Declinatio symptomatum similiter, sed certius sanitatis restitutionem pollicetur.*

16 *Hydrocephalus cum hoc morbo conjunctus semper periculum non leve importat. Quod si eo usque prævaleat, ut futuræ cranii multum dehiscant, atque in earum interstitiis aquæ in capite conclusæ duram matrem in mollem & aquosum tumorem attollant, lethalis est.*

17 *Dentitio laboriosa, nonnunquam gravissima symptomata secum adfert, mortemque ipsam minatur. Plerumque tamen minus ferocit, atque intra paucos dies terminatur. Utcumque, dum conjungitur, multum morbi motum accelerat.* Dentes vero Canini, qui oculares vulgo nuncupantur, cæteris molestius erumpunt, vlusque periculi portendunt.

18 *Asthma præsertim Orthopnœa, atque ea spirandi difficultas in qua decubitus in*

genitum

neutrum latus admittitur) *valde periculosum.* Suspicio enim est tumoris alicujus abscessus, Empyematis, Pleuritidis, Peripneumoniæ aut adnascentiæ pulmonum cum pleura, qui omnes affectus periculosi sunt.

19 *Phthisis cum hoc affectu complicata lethalis ferme est, præsertim si unum idemque ulcus pulmonum ultra 40 dies perseveraverit.*

20 *Morbus hic diuturnior facile in Phthisin vel Tabem migrat, vel saltem ante obitum Tabem sibi comitem perpetuo fere adsciscit, nisi forte alius morbus aut symptoma grave interveniens accelerata morte Tabem advenantem prævertat,* ut convulsio, tussis clangosa dicta, intumescentia Pulmonum (quam Angli **the rising of the Lights**, vocant) febris continua, pleuritis, &c.

21 *Hydrops Pulmonum, ut & Ascites, si forte huic morbo associentur, eundem reddunt deploratum.*

22 *Febri Hectica, Lenta, Putrida, maximeque continua, partes primo affectas depascendo, hujus morbi motum vehementer accelerant, eumque periculosum efficiunt.*

23 *Lues Venerea cum hoc morbo conjuncta sive hæreditaria, sive ex contagio contracta, difficilem admodum, si ullam, curationem admittit.*

24 *Scorbutus complicatus multum quoque difficultatis in curatione secum adfert, licet minus quam Lues venerea.*

25 *Strumæ sive externæ, sive minores internæ non ex se tantopere obstant curationi, licet alias ipsæ aliquando in hac ætate difficillime*

ficillime percurentur. Externæ enim exulceratæ, aut inflammatæ simulque dolorificæ, vehementer naturam lacessunt, viresque dissipant, multo autem magis internæ, præsertim si partes nobiles occupaverint, aut ipsa mole vicinis partibus molestæ fuerint.

26 *Quicunque ante annum quintum ætatis completum non perfecte sanantur, postea miseri ac valetudinarii ferme vivunt, & vel Asthmatici, vel Cachectici, vel Phthisici facti ante consistentem ætatem moriuntur, vel saltem gibbosi, nani, curvi, aut aliter deformes postmodum supersunt.*

27 *Scabies & pustulæ in cute, pruritusve huic morbo supervenientes, ad curam ejusdem multum conferunt.*

28 *Qui facilius tolerant omnimodam jactationem corporis, cæteris paribus, facilius curantur.*

Atque ita tandem absolvimus trium generum signorum, quæ hactenus in nostram observationem occurrunt, historiam. Proximum est ut ad methodū praxeos, quæ præcautionem & curationem hujus morbi complectitur, deveniamus.

CAP.

CAP. XXIV.

Methodus ad Praxin, tum Indicationes in genere.

METhodus ad praxin in θεραπευτικὴν & προφυλακτικὴν, *in partem Curatricem & Præservatricem* dividitur. De priore nobis hoc capite agendum, quamvis forte hic quoque nonnulla in genere proponenda sint, quæ cum Prophylacticæ, tum ὑγιεινῇ sint communia. Prophylacticen autem in specie ad calcem hujus tractatus reservamus.

Pars Curatrix appellari solet *Methodus medendi*, cujus, ut cujuslibet alius Artis, duo sunt generalia instrumenta, *Ratio* scil. atque *Experientia*; quarum conjugium omnem artificis peritiam exhaurit. Per experientiam autem intelligimus *non tantum historiam morbi unius aut plurium, successusque medicamentorum; sed & observationem*, hoc est, *applicationem historiarum ad ea, quæ in eodem affectu dictat ratio, idque per viam comprobationis vel improbationis.* Similiter per Rationem *omnem mentis operationem* volumus, ita, ut non tantum *tertiam* nempe *ratiocinationem seu demonstrativam, seu probabilem & analogismum*, verum insuper & *primam & secundam*, hoc est, *simplicem apprehensionem tum compositionem ac divisionem*

visionem hoc instrumento complectamur. Etenim, pars hæc medicinæ præsupponit *Physiologiam, Pathologiam, & Semeioticem*, quæ certe uniuscujusque operationis intellectus exercitium multifariam exigunt. Deinde, nemo aliquam propositionem intelligat, qui non prius simplices ejusdem terminos apprehenderit; neque syllogismum, qui ignarus fuerit propositionum è quibus conflatur: ut manifestum jam sit omnem mentis operationem hic exerceri.

Indicatio, Ἔνδειξις, nobile illud methodi medendi instrumentum, (cujus usu Dogmatici sectam suam ab Empiricis maxime discriminari volunt) partibus Rationis etiam venit accensenda. Quandoquidem autem nonnulla cum difficilia tum obscura occurrunt circa hoc instrumentum ab ipsis neotericis vix dum enodata & illustrata, operæ-pretium duximus hic paucis examinare,

I *Quid sit Indicatio?*

II *Ad quam intellectus operationem pertineat?*

III *In quæ genera & differentia distribuatur?*

Quid Indicatio.

Quod ad primum attinet, licet forte plures hujus nominis significationes apud Autores occurrant, illa tamen prima & maxime propria est quam tradit Galenus *Meth. Med.* 7. Ἔνδειξις ἐστιν ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας. Indicatio est *insinuatio* seu *declaratio consequentiæ*, id est, *rei agendæ*. In hoc sensu definiri & describi potest indicatio, *Actio objectiva*

Indicantis

Indicantis relative consideratâ quæ repræsentat intellectui Indicatum, hoc est, quid conferat, quid noceat, & per consequens, quid prosequendum, quid fugiendum sit. Ut definitio hæc seu descriptio clarior reddatur, expendamus ulterius *quid sit Indicans? quid Indicatum? qualis sit actio Indicantis? quo spectet distinctio Indicati juvantis & nocentis, sive prosequendi & fugiendi?*

1 Quamvis termini illi *Indicatio, Indicans,* & *Indicatum,* extendi forte ad alias artes et scientias possit; cum tamen hactenus industria medicorum (præsertim Galeni) soli methodo Praxeos approprientur, eorum definitiones, quæ hic exhibendæ, hanc solam methodum, omisso omni alieno eorum usu, respiciunt.

Quid Indicans.

Generalis igitur Indicantis definitio à natura generalissima, quæ in nostra arte indicat, petenda est. Definiri ergo potest *Indicans* in genere, *status corporis quæ fluxilis, vel mobilis,* seu potius, *qua actu est in fluxu vel motu, relative consideratus, prout insinuat quid sit agendum sui causa.*

Dicimus primo Indicans semper aliquem *statum* vel *conditionem corporis* innuere; quare quod extra corpus est, ac nondum id afficit, cum non sit conditio seu status corporis, haud recte dicitur indicare. Causa ergo externa, & nondum corpus afficiens, non est Indicans, licet forte ejus aversio possit esse Indicatum. Secundo status corporis *qua fluxilis,* vel *qua mobilis,* seu potius *qua actu est in motu,* ad essentiam Indicantis requiritur. Etenim

enim ut luculentissime probat Gal. I. ad Thrasyb. si corpus nostrum esset immutabile & perpetuum, nullus locus Arti medicæ relinqueretur: aft vero cum calor continue humidum depascat, cumque sanitas ipsa vel in statu perfectissimo fragilis sit ac fluxilis, immo actu fluens, & ex aliqua parte jam defluxit, patet subsidium Artis medicæ officiumque medici practicum postulari. Tertio ad Indicantis etiam naturam pertinet *relativa ejus consideratio*. Nam si status corporis ejusve mutatio absolute tantũ cõsideretur, nuda tãtum speculatio inde resultat; sin vero in ordine ad id quod agẽdum est, quo medicus officio suo circa illũ statũ recte fũgatur consideretur, statim instrumẽtũ practicũ evadit, atq; Indicantis naturam induit. Indicat quippe ejusmodi status qua fragilis & in motu est, omni modo sanitatis habendam esse rationem, eamque esse assequendam. Adeoque quod generalis medici scopus quærebat, hoc i. sum generale Indicans commonstrat. Non autem exspectandum est, ut consideratio generalissimi Indicantis quidquam aliud repræsente quam actionem generalissimam scopo generali respondentem. Si vero medicus particularem scopum ulterius prosequi voluerit, oportet ad Indicantia particularia magis descendat.

Quid Indicatum.

II Indicatum est *Actio medica ex parte Indicantis requisita*. Nam primo & formaliter Indicans denotat *actionem*, secundario vero & per consequentiam *instrumentum, quo actio perficitur*. Itaque appen-

appendicis loco addamus propositæ de, finitioni, quod *secundario, ex consequenti atque in concreto, includat instrumentum, quo ista actio exercetur.*

I Dicimus Indicatum esse *actionem.* Eo enim fine Medicus utitur Indicatione, ut inde quid agendum sit, eliciat. Dicas, instante crisi aut ea legitime procedente; ipsum Indicatum esse abstinentiam ab actione, non autem actionē.

Respondemus, Abstinentiam hanc eo ipso quod consulto & secundum artem imperatur, sub aliquali notione actionis medicæ evidentur contineri: atque idē dicendum est de quavis actionis in arte nostra prohibitione.

II Dicimus Indicatum esse *actionem medicā*, hoc est, *actionem ad sanitatem facientem.* Etenim finis Medicinæ sanitas est, ideoque actio illa quæ ad sanitatem collimat, recte actio medica nuncupatur.

III Dicimus Indicatum esse *actionem saltem respectu Indicantis requisitam.* Omnis enim actio Indicata non statim exequenda est, neque dici potest simpliciter, sed tantum ex parte Indicantis requisita; quocirca ea ulteriori examini subjicienda est priusquam decernatur exercenda: & si neque vires prohibeant, neque aliud contra indicans potentius repugnet, tū demū simpliciter requisita est, suoque tempore, siqua fieri potest, exequenda. Atque hinc recte distinguitur Indicatū in *inutile & utile.* Redditur autem Indicatum *inutile* vel ex defectu materiæ medicę, qua id exequendum est vel ex præsentia validioris *Prohibentis*;

aut,

aut *contra Indicantis*. Indicatum *utile* adhuc recte subdividitur in *circumstantiatum & non circumstantiatum*. Indicatum *circumstantiatum* sive actio rite circumstantiata quamprimum absque mora exequenda est. Indicatum *non-circumstantiatum* tam diu differendum est, donec debitas circumstantias perfecte nactum fuerit. Dicimus quarto Indicatum *concrete & secundario includere quoque Instrumentum, quo actio Indicata perficitur*. Verbi gratia, status sanitatis indicat primo & formaliter actionem conservandi eam, secundario vero & per consequens indicat simul instrumentum, quo eam conservemus, viz. similia. Hæc transitio Indicationis ab actione ad instrumentum non videtur pendere à sola virtute Indicantis, aut ex parte etiam à generalibus quibusdam certisque & vulgo receptis principiis, *similia similibus conservari, contraria contrariis curari*; ideoque consulto diximus instrumentum ejusmodi esse secundarium Indicatum, & per consequentiam illatum, & quod simul actionem cum instrumento includat Indicatum esse concretum.

Cognatio officii medici cum actione Indicata.

Porro, quum *officium medici practicum* magnam habeat cognationem cum *actione Indicata*; quousque hæc conveniant, & qua ratione inter se differant, hic considerandum. Officium medici generale est, assequi, quantum fieri potest, finem artis suæ, nimirum *sanitatem*. Atque eadem assecutio sanitatis propemodum est generalissima actio Indicata. Hæc tamen eo distinguitur à generali medici officio,

quod

quod assecutio sanitatis non perpetuo sit possibilis. Quamvis ergo assecutio sanitatis semper indicetur; quando tamen ea impossibilis est, non obligat medicum, cum nemo teneatur præstare impossibilia, adeoque nulla pars est ejus officii. Similiter actio indicata aliquando inutilis est ob rationes modo allatas, in quo casu non pertinet ea ad officium medici. Ad hæc, actio Indicata, utilis licet suo loco sit exequenda, quamdiu tamen incircumstantiata manet, non exhaurit officium medici. Etenim medici est non tantum utilia in specie, sed & habita ratione temporis ordinis, modi, cæterarumque conditionum justæ administrationis talia opem ejus implorantibus præscribere. Denique actio Indicata utilis, omnibus suis circumstantiis debitis stipata vere exhaurit officium medici. Hujusmodi quippe, & solas hujusmodi actiones (saltem ubi eæ innotescunt) tenetur medicus exequi.

Corollario utriusque cum scopis medicis.

Præterea *scopi* sive *intensiones medicæ*, cum actiones indicatas, tum officia medici diversimode respiciunt, & cum utrisque aliquid habent commercii, quo respectu hic quoque veniunt leviter consideranda. Verum in ipso hujus discursus limine videntur scopi distingui posse in *notiones* sive *formulas inquisitionis circa quodvis officium medici*, & *res ipsas quærendas*. Formulæ inquisitionis nihil aliud sunt quam *aptæ quæsturiculæ*, vel *interrogationes*, quæ quodvis medici officium in tot partes resolvunt, quot distincte inquirendas & examinandas continet. Novem

vem hujus generis formulas enumerat Argenterius, 1 *An*? 2 *Quid*? 3 *Qua materia*? 4 *Quantum*? 5 *Quale*? 6 *Quo modo*? 7 *Quando*? 8 *Ubi*? 9 *Quo ordine agendum*? Alii has ad pauciora capita contrahunt, de qua re consulantur Autores. Scopi reales sive res ipsæ quærendę sunt *partes ipsæ, in quas quodvis officium medici apte distingui potest*, suntque idcirco totidem numero, quot in isto officio reperiuntur partes distinctę inveniendę aut examinandæ. Hi scopi jam inventi, non re, sed sola ratione ab iis quærendis discriminantur, respectu nempe diversæ relationis ad intellectum quærentem & actu intelligentem. Ex his patet, quam cognationem habeant *scopi* cū *officio medici*, & *actionibus Indicatis*. Et enim scopi notionales sive formulæ scoporum, & res ipsæ sub illis formulis quęrendæ in eandem metam collimant, viz. distinctam omnium partium cujusvis officii medici inventionem. Verum res quærendæ sunt partes ipsę officii à se invicem facilioris inventionis aut examinationis gratia apte disjunctę.

Porro illę partes hujus officii, quatenus sunt vi indicationis inventę, ipsę sunt actiones Indicatę; ita ut scopi ex Indicatione inventi, & actiones Indicatę realiter idem significent. Dicimus *realiter*, quod scopi etiam inventi qua scopi ab illis ratione differant, quandoquidem præter actiones Indicatas videntur connotare intentionem easdem actiones prosequendi, sicuti scopi nondum inventi innuunt intentionē in illas inquirendi.

rendi. Atque hæc de Indicatis.

III *Actio Indicantis* objectiva *est*, & Indicans, *ut objectum præter se ipsum*, Indicatum *intellectui quodammodo insinuat*. Miretur forte *aliquis, qui eveniat, ut objectum aliud quid præter se ipsum repræsentet.*

Resp. Eam esse naturam relativorum, ut (qua talia) concipi non possint absque implicatione suorum correlativorum. Etenim relativum aliquod in propria sua consideratione oblique saltem involvit naturam alterius, ideoque facile intellectum deducit ad alterius cognitionem. Dicat aliquis, si Indicationis vis in mera relatione Indicantis ad Indicatum fundetur, qui fiat quod ejus usus ad solam artem medicam restringatur?

Resp. Nos non negare, quin usus hujus instrumenti extendi possit ad alias artes & scientias, ut supra quoque monuimus. Etenim in morali philosophia licet dicere virtutem indicare sui protectionem, vitium sui suppressionem. Neque vero tantum consistit hujusmodi relatio inter status rerũ, actionesq; eosdẽ spectantes, sed & inter terminos mere speculativos: ut bis duo sunt quatuor; homo non est equus. At vero hic consideramus Indicationem & efficaciam Indicantis tantummodo in ordine ad methodum medicinæ, ut hic non opus sit hujus instrumenti usum ulterius extendere, quod neq; fecit Galenus, cum id ad ejus scopũ parũ contribueret. Asserimus tamẽ non quãlibet relationẽ sufficiẽs esse fũdamentum

mentum Indicationis, ſed oportet ſit talis, quæ evidentem præ ſe ferat ſeu conformitatem & congruentiam inter indicans & Indicatum, unde in propoſitionem indubitatę veritatis apte componantur; ſeu diſparitatem & repugnantiam eorundem inter ſe; unde à ſe invicem apte dividantur, hoc eſt, in propoſitionem negativam æque certam diſponantur. Quod autem propoſitiones hac indicatione elicitæ ſint certæ & evidentes, neque ulteriori probatione opus habeant, ex eo eluceſcit, quod quivis intellectus ſui compos, nulloque præjudicio occæcatus, neque ſcepticis nugis ac fallaciis de induſtria irretitus, neceſſum habeat iis mox aſſentiri ubi earum terminos intellexerit. Quinetiam ipſi ſceptici, licet inter diſputandum quamlibet veritatem, ut ut manifeſtam, ſuſque deque habeant, & certiſſima quæque principia rebus quam maxime dubiis æquiparare ſatagant; in vitæ tamen muniis obeundis dum inediæ ſuccurrunt aſſumpto cibo, dum pecunias ſibi annumerant, dum plagas fugiunt, atque hæc & ſimilia conſtanter abſque ulla mentis fluctuatione agunt, ſatis teſtantur ſe ex prava quadam animi diſpoſitione vel gloriolæ ſtudio, vel victoriæ in contentione ſpe duci potius quam reipſa de iſtiuſmodi propoſitionum veritate dubitare. Interim hic notandum eſt, Indicationem, ipſam neceſſario talsaeem eſſe ac infidam, ubi abſoluta natura vel Indicantis vel Indicati prius non exacte cognita fuerit. Etenim in hac Indicationum arte, præſupponimus ſemper

medicum

medicum antea didiciſſe probeque noſſe quid ſint res illæ omnes, quas ſecundum naturam nuncupamus, ut & in quo conſiſtant morbi eſſentia, omneſque ejus partes, nec non cauſas omnes morbi perſpectas habere: immo neceſſe eſt etiam ſciat cunctas medicas actiones, puta quid ſit alteratio, quid calefactio, quid frigefactio, &c quid evacuatio, purgatio, venæſectio, &c. quid conſervatio, & ſimilia. Non enim Indicatio manifeſtam reddit abſolutam naturam vel Indicantis, vel Indicati; ſed hæc prius nota præſupponens, mutuam tantum relationem repræſentat, viz. aut *arctam connexionem & conformitatem, quam inter ſe habent, vel diſparitatem & oppoſitionem*, unde in propoſitionem certam formari poſſint. Verum certitudo propoſitionis indicatæ non poteſt ſuperare certitudinem cognitionis Indicantis. Siquando igitur helitamus de certa naturæ Indicantis notitia, vix tutum eſt ſoli Indicationi fidere, donec alio ratiocinio ut analogiſmo, vel experientia ulterius ea confirmetur. Sed hæc dubitatio, non naturæ Indicationis, aſt ignorantiæ rei Indicantis tribuenda eſt.

Adhæc, ſciendum eſt relationem indicantis in methodo Praxeos, præter evidentiam, connotare etiam *quid debiti* aut *requiſiti officii* reſpectu actionis Indicatę, propoſitioneſque ex Indicatione formatas iſtud debitum inſinuare vel explicite, vel ſaltem implicite. Ut in hac propoſitione; *morbus indicat ſui ablationem*; decernitur ablatio, ut actio requiſita ex parte Indicantis ſcil. morbi, ac ſi diceretur

tur, morbus requirit seu postulat sui ablationem; exprimitur autem frequentius & forte elegantius hoc debitū actionis officium per participium in *dus*, ut, *morbus est tollendus*: quæ propositio manifeste significatione coincidit cum prioribus.

Obiect. *Objectio quædam circa actionem Indicantis restat adhuc solvenda. Nimirum, si Indicatio sit ipsa Indicantis actio, quomodo vocari possit operatio Intellectus? omnes enim Indicationem ad aliquam intellectus operationem referunt.*

Resp. Indicationem esse quidem actionem Indicantis, sed objectivam, eamque uniri facultati Intellectivæ, atque in eadem esse quasi in subjecto: porro intellectum esse potentiam, & ab objecto suo actuari, & quasi informari. Quare actio Indicationis, licet *objective* tribuatur Indicanti, *subjective* tamen tribuitur Animæ ejusque præsertim intellectivæ parti, cujus actus & quasi forma est. Atq; hinc facillimum est Galenum sibi ipsi conciliare ubi aliquando Indicationem ἔμφασιν, aliquando καλάληψιν definit.

IV Examinandum est quo respiciat illa actionis Indicatæ distinctio in *actionem conferentem*, & *nocentem*, sive *prosequendam* & *fugiendam* Urgeat enim aliquis Galenum perpetuo affirmare ab uno Indicante unum tantum insinuari Indicatum; & in *l. Meth.* 11. asserere eos frustra Methodum curandi tentare, qui unum ab uno Indicari ignorant: atque omnesqui de hac materia scripserunt, videturidem attestari.

Resp.

Resp. Galenum intelligendum esse de tribus distinctis Indicantium generibus, quæ nullo modo sunt confundenda, ut neque eorum Indicata. Quod enim proprie indicat morbus, non tribuendum caussis aut viribus; similiter quod indicant caussæ, non applicandum id vel viribus, vel morbo ipsi; denique quod vires indicant, nec morbo neque caussis adscribendum. Hoc enim respectu uni Indicanti unum Indicatum respondet, & qui hoc non observat, necessario omnia confundit, frustraque secundum Galeni mentem hoc instrumento in artis operibus utitur, veruntamen sciendum est, in quovis genere prædicto, Indicatum in *duas partes* dividi posse, quarum altera *actio conferens & prosequenda est*, altera *noxia & fugienda est*; utraque vero ad idem genus è tribus dictis pertinet, & quasi media pars est totius Indicati: Nam vires jubent eligere ea, quæ illas tueri queant; ea vero vitare, quæ illas amplius lædere apta sunt, & utraque actio concurrit ad completam conservationem præstandam. Similiter cum in curatione, tum in præservatione reperitur actio tam prosequenda, quam fugienda: neutra tamen excedit sui generis terminos, ut nulla inde confusio metuenda sit. Dum enim curamus, ea eligimus quæ morbum demoliuntur; ea fugimus, quę illum fovent. Similiter dum præservamus, caussas tollimus, & ea simul cavemus quæ quovis modo ad earum continuationem aut repullula tionem contribuunt. Atq; ob hanc rationem in definitione

tione Indicationis supra data, distinguimus actionem Indicatam in *prosequendam & fugiendam*: quod idem quoque in enumerandis particularibus hujus morbi indicationibus facturi sumus.

Ad quam intellectus operationem Indicatio pertineat.

Tempestivum jam est ut ad secundum quæsitum ab initio propositum, *viz.* ad quam intellectus operationem Indicatio spectet, transeamus. Dicimus 1 Indicationē *quodammodo includere simplicem apprehensionem utriusque termini, Indicantis & Indicati.* Nemo enim propositionem intelligat ignotis terminis ejus simplicibus. Verum hæc cognitio tantum præparatoria est, & præsuppositā in arte Indicationum, ut supra quoque notavimus. Dicimus secundo *compositionem & divisionem esse explicitam operationem intellectus in perceptione Indicationis.* Etenim Indicans vi relationis suæ repræsentat Indicatum secum in propositionem relativam apte connectendum. Quod vero propositio sic conflata natura sua adeo sit manifesta & evidens, ut de ejus veritate dubitari non possit, neque ulteriori egeat probatione, expresse dicit *Gal.* — καταλήψει ἄνευ πειράσεως ἢ λογισμοῦ, Item *l. de opt. Sect. ad Thras. c.* 11. — ἄνευ ἀποδείξεως, ἢ παρατηρήσεως. Hic aliqui Galenum calumniantur, quasi artem extruxisset ab omni ratione & experientia alienam; cum tamen nil aliud voluerit Galenus quam propositiones Indicatione elicitas per se certas esse, neque comprobatione seu experientiæ seu rationis indigere. Objicit quidem Sennertus

tus Indicationem pertinere non posse ad secundam mentis operationem, quod Indicatum neque affirmetur neque negetur de Indicante. Sed videtur vir doctissimus in hoc lapsus. Licet enim directe, & per nudum verbum substantivum sive copulam (est) forte neque affirmetur neque negetur Indicatum de Indicante; indirecte tamen & in casu obliquo manifeste de eodem prædicatur eo modo, quo fieri solet in propositionibus relationis; v. gr. *Indicans est Indicati Indicans*; vel *status sanus est suæ conservationis Indicans*; *status morbosus est remedii Indicans*; &c. Et si quis velit exprimere Indicatum cum relatione sua ad Indicans per participium in *dus*, ejus prædicatio erit directa: Ut, *status sanus est conservandus*; *status morbosus est curandus*; *morbus est tollendus*, &c. Si negare posset doctissimus Sennertus has esse propositiones, pari facilitate negaverit Indicationem spectare ad hanc operationem intellectus; sin necesse habeat illud confiteri, etiam hoc una agnoscere tenetur. Asseruimus vero Indicationem explicite spectare ad secundam mentis operationem, quod intellectus, quoad ordinem temporis, simul comprehendat mutuam relationem Indicantis & Indicati, indeque propositionem conficiat, quæ propositionis formatio ipsa est Indicatio, atque explicite secunda Intellectus operatio Quod autem intellectus simul tempore Indicans & Indicatum in Indicatione complectatur, eleganter exprimit Galenus ficta voce decomposita, qua in ejus definitione

finitione utitur, ---συμπροσπίπτουσα κατάληψις. Item in alia definitione, ---συμπροσπίπτει τὸ συμφέρον.

Dicimus 3 Indicationem *implicite quoque referri posse ad tertiam Intellectus operationem:* quoniam ordine Naturæ videtur Intellectus prius evidentem relationem Indicantis ad Indicatum percipere, quam de certitudine propositionis inde resultantis concludat, licet ordine temporis hæc simul Intellectus complectatur, ut modo dictum, neque necesse sit explicitum syllogismum conficiat. Nã revera potest Intellectus simul tempore comprehendere ea, quæ ordine naturæ successiva dicantur, ut solem & lucem, ignem & calorem, &c. Eò ipso vero quod hæc simultanea comprehensio Indicationis includit dependentiam quandam notitiæ Indicati à relatione Indicantis percepta, supponit quoque relationem dictam saltem ordine naturę prius percipi, Indicatum vero posterius & per illationem implicitam innotescere. Nam transitio quædam, respectu ordinis naturæ, hic implicari videtur a relatione Indicantis, tanquam medio termino, ad propositionem ex Indicante & Indicato conflatam tanquam ad conclusionem; quæ implicita quędam argumentatio dici potest.

Dicimus 4 *Posse per ambages Indicationem reduci ad explicitam argumentationẽ sive syllogismum,* seu potius, *idem quod Indicatione assequimur posse etiam per viam syllogismi inveniri & comprobari.* Nam ratio evidentiæ propositionis Indicatæ

explicite

explicite applicari poteſt, ut medius terminus ad iſtam propoſitionem inferendam. Interim ſyllogiſmus ſic confectus vel mere nugatorius, vel ad ſummum tantum explicatorius erit. Ut ſi quis vellet probare morbum eſſe tollendum, ſic procederet. *Quod eſt contra naturam eſt tollendum; morbus eſt contra naturam; ergo morbus eſt tollendus:* medius terminus *(quod eſt contra naturam)* eſt ratio relationis morbi ad ſui ablationem. ſed tantum eſt expoſitorius generalis naturæ morbi. Quiſquis enim intelligit quid ſit morbus, neceſſario ſimul concipit eſſe quid præter naturam. Ideoque talis ſyllogiſmus tantum expoſitorius eſt. Non tamen eum ſemper inutilem putamus, cum ad convictionem pertinacis, vel informationem ignorantis aliquando inſerviat. Huc quoque referre poſſumus tranſlationem Indicationis ab actione ad inſtrumenta virtute generalium regularium, *ſimilia ſimilibus conſervantur, contraria contrariis curantur*; quæ ſupra quoque memorantur.

Dicimus 5 *Collationem Indicationum inter ſe, quo ex conſenſu & diſſenſu Indicantium quid ſimpliciter & abſolute agendum ſit eliciamus, neceſſario involvere tertiam Intellectus operationem.* Etenim limitatio cujuſvis Indicationis ſupponit medium terminum iſti Indicationi extraneum, quo prius intellecto limitatio ut concluſio infertur. Qui enim neceſſe habet (quo de veritate propoſitionis alicujus ſtatuat) terminum extraneum ut medium con-

consulere, hic certe manifeste argumentatur. Cum ergo ad limitationem Indicationis præter Indicans & Indicatum tertius terminus ejusque consensus vel dissensus requiratur, patet ad ejus inventionem tertiam operationem Intellectus postulari. Licet ergo simplices Indicationes prima rudimenta Methodi ad Praxin subministrent, ad complementum tamen artis ratiocinatio socia est adsciscenda.

Dicimus 6 *Electionem materiæ medicæ in specie, ejusque aptam administrationem non tantum omnem operationem intellectus, sed & insuper postulare experientiam.* Etenim quis absque hac dosin scammonii alteriusve cujusvis medicamenti purgantis, quosve humores in specie educat, satis intelliget? In alterantibus etiam lateat forte qualitas aliqua non explorata, ægrotanti noxia, quæ sola experientia percipi possit. Statuimus ergo (Indicationum propria vi usuque servatis) ad completam medicinæ methodum requiri quidquid ratio, quidquid experientia contribuere possint.

Differentiæ Indicationum.

Procedendum tandem est ad tertium titulum ab initio propositum, in quæ scil. genera & differentias Indicatio distribuatur. Differentiæ quidem è supra dictis facile elici possunt, quas hic propterea omittimus. Hic autem distinguimus Indicationem in *generícam, subalternam,* & *specificam.* Generica à generali Indicante petitur, subalterna à generibus Indicantium intermediis, specifica

ab

ab infima eorum ſpecie. Supra notavimus generale Indicans eſſe ipſum ſtatum corporis in genere conſideratum, qua fragilem & in motu: ſtatus hic indicat ſanitatem eſſe aſſequendam, quæ generaliſſima eſt actio medica, & generaliſſimum Indicatum. Verum tamen hæc actio quodammodo concreta eſt, & duas æque generales actiones in abſtracto includit, ſcil. *Conſervationem*, & *Correctionem*. Quippe ſtatus generalis prædictus etiam concretus eſt, duaſque ſimiles conſiderationes in abſtracto complectitur, alteram nimirum partium ſecundum naturam adhuc ſe habentium, quæ puram putam conſervationem poſtulant; alteram partium de integritate ſua nonnihil jam lapſarum, quæ ſimiliter puram putam correctionem exigunt. Hæ duæ actiones in omni artis opera perpetuo conjunguntur. Qui enim conſervat, ſimul corrigit, hoc eſt, vitia quædam emendat, & qui corrigit ſeu vitia emendat, ſimul Conſervationi proſpicit. Complicatio harum actionum adeo eſt ſubtilis, ut videatur impoſuiſſe ipſi acutiſſimo Argenterio qui *l.* 1. de Off. med. c. 2. affirmat Conſervationem eſſe ipſam illam Correctionem, quæ in arte tuendæ ſanitatis exercetur. Verum dupliciter errat. 1 Quod Correctionem & Conſervationem in ὑγιεινῇ unam & eandem actionem eſſe putet, cum re ipſa duæ ſint diſtinctæ, ut ut conjungantur in artis exercitio. Etenim à diverſis conſiderationibus generalis Indicantis, ut modo dictum, indicantur, & Conſervatio

Duo Indicata abſtracta generaliſſima.

tio respicit ea quæ sec. naturam sunt; Correctio vitia Naturæ. Quinetiam per instrumenta formaliter distincta, immo opposita perficiuntur. Nam Correctio in ipsa etiam arte tuendæ sanitatis per contraria, Conservatio per similia peragitur: Ut, inanitioni in hac arte succurrimus assumpto cibo, inanitioni quidem contrario, ast partibus nutriendis simili; Quamvis ergo conjungantur hæ actiones in executione, re ipsa tamen formaliter distinctæ sunt, & distincte ab intellectu concipiendæ. Secundus error Argenterii est, quod solum Correctionē vitiorum generalem actionem totius Medicinę esse contendat, cum Conservatio æque sit universalis pariterque in omni Medicinæ parte exerceatur.

Nemo dubitat quin in ὑγιεινῇ conservemus: quod vero simul corrigamus, demonstrat Galenus l. ad Thrasyb. & lib. An *res tuendæ sanitatis ad medicum pertineant*. Dicas Gal. ibi probare omnem actionem medicam esse Correctionem, ipsamque Conservationem sub latitudine Correctionis comprehendi. Nō tamen ita accipiendus est Galenus, quasi vellet Correctionem esse genus Conservationis, cum, ut modo monstravimus, Conservatio & Correctio vel in hac arte tuendæ sanitatis sint formaliter diversæ & contra distinctæ actiones: id vero tantum voluit Galenus omnem actionem Medicam, quando actu administratur, in se Correctionem includere, eoq; respectu Corectionē appellari posse, adeoque Correctionem esse generalem

actionem

actionem totius Medicinæ: non tamen negat Gal. quin conservatio sit æque generalis. Quid enim prohibeat duas esse generales actiones abstractas in Medicina? Non id destruit, si quis forte putet, unitatē Artis; quin potius eā confirmat. Unitas enim Artis in communitate aliqua, quæ omnibus ejūsdem partibus tribui potest, consistit; atque eo firmior unitas hæc censenda est, quo pluribus communitatibus omnes Artis partes inter se connectuntur. Si ergo duę sint actiones generales, eæque omnibus partibus Medicinæ communes, eo firmius partes istæ in unam Artem coa'escunt. Quare non repugnat ratiocinio Galeni, si quis dicat conservationem quoque esse generalem actionem totius Medicinæ; cum scopus Galeni tantum fuerit ostendere Medicæ Artis unitatem ex communitate istius generalis actionis, *viz.* Correctionis: potuisset autem id æque ostendisse, si natura rei postulasset, ex communitate Conservationis. Etenim in Θεραπείᾳ nobilissima pars totius concretæ actionis est Conservatio: indeque tota actio à potiori parte Conservatio, & Ars ipsa Conservatrix denominatur, licet alias, ut dictum est, Correctionem quoque includat. In Prophylactica vero præcipua pars actionis Medicæ præservatio est, scilicet Correctio caussæ morbi imminentis: ita tamen hæc perficitur, & per ea media, quę vires præsentes permittant, nullo autem modo per ea quæ eadem destruant. Ideoque in Prophylaxi quoque ratio habetur virium, earū-

que conservatio indicatur. Verum à potiori similiter parte tota actio concreta (etsi, ut dictum, Conservationem quoq; includat) Præservatio & Præcautio appellatur. Denique in Therapeutica, licet similiter tota actio concreta Curatio, & ipsa Ars Curatrix à principe actionis parte denominetur; re ipsa tamen tota hęc actio Curandi in tres partes abstractas beneque distinctas dirimi potest: in Curationem caussę, in Curationem morbi, & Conservationem virium. Vitalis quippe sive Conservatrix Indicatio ad hanc quoque Medicinæ partem evidenter & omnium consensu spectat, & in omni Curativa actione priusquam ea exequenda est, consuli debet. Unde patet hanc etiam partem Medicinę perpetuo conservare, hoc est, in omni Curatione prospicere, ne virės à remedio præscribendo plus detrimentic apiant, quam emolumentum id est, quod per morbi ejusve caussæ à remedio impugnationem iisdem accedit. His omnibus igitur perpensis, concludimus generale Indicatum Concretum quid esse, apteque distingui in duas generales actiones abstractas, quæ in omni parte Medicinæ exercentur, idque in Artis opera unam actionem completam sive complexam perpetuo conficere.

Porro generale Indicans, *viz.* status corporis, qua fragilis & in motu, præter partes sive considerationes abstractas jam propositas, dividi potest in tres species, seu potius tria genera subalterna pariter concreta: scil. in *statum sanum*;

in *statum morbosum*; & *neutrum*. Hæ tres species ipsa sunt subjecta trium specierū Methodi ad praxin: nimirum *status sanus*, Υγιεινῆς; *status morbosus*, Θεραπευτικῆς; *status neuter*, προφυλακτικῆς. Tres hi status etiam concreta Indicatia sunt, & concrete quid sit agendum, vel quodnam sit officium Medici in singulis istis Artibus respective indicant: *viz.* status sanus, sanitatem esse conservandam; status morbosus, morbum esse tollendum; status neuter, morbi imminentis causam esse corrigendam, ne in morbum erumpat. Atque hæc tria Indicata similiter concreta sunt, eorumque quodlibet, ut supra probavimus, in abstracto tum Conservationem tum Correctionem includit.

Denique in statu morboso actio Corrigendi in duas species resolvitur; in Correctionem caussæ, & Correctionem morbi; atque adeo tria actionum abstractorum genera hic reperire est. Status enim morbosus in tres species abstractas finditur, in morbi essentiam, morbi caussas, & vires, sive ea quæ supersunt in hoc statu secundū naturam. Ea enim quę præter naturam sunt & correctionem in genere indicant, in duas species, ut dictū, hic abeunt, *viz* in morbi essentiā, & morbi caussas; ideoq; tres sunt partes hujus status, quæ singulę formaliter diversimode indicant. Tria ergo (ut negotio huic finem imponamus) genera Indicationum in hoc statu veniunt considerandā: nempe ab essentia morbi, *Curativa*; à caussis, *Præservativa*;

tâ viribus, *vitalis*, seu *Conservativa*. Ad causas referimus quælibet impedimenta curationis, ut & symptomata urgentia, quæque curationem ad se trahunt, hoc enim respectu naturam induunt causarum. Hæc in genere de Indicationibus dicta sufficiant.

CAP. XXV.

Curativæ Indicationes.

A B *Essentia mo. bi* deduci has Indicationes modo asseruimus. Hic ergo omnes essentiæ hujus morbi partes leviter percurrendæ sunt, ut, quid quælibet agendum insinuet, percipi possit.

Indicatio prima.

1 Ergo, morbi hujus essentia ex parte consistit in intemperie frigida & humida: indicat ergo morbus hic, respectu hujus partis essentiæ suæ, non tantum ea omnia vitanda esse, quæ quovis modo istam intemperiem aut fovere aut intendere apta nata sunt; sed & in subsidium advocanda esse ea, quæ eandem infringant, *viz.* calefacientia & siccantia.

Secunda.

2 Consistit hic morbus etiam ex parte in inopia spirituum insitorum: non modo ergo ea omnia fugienda sunt, quæ quovis modo spiritus ulterius dissipare, eliquare, vel in auras dissolvere queant; sed & ea insuper eligenda sunt, quæ eosdem instaurare, fovere, ac multiplicare possint. Respuenda igitur hic validiora discussiva, quod spiritus una discutiant; item impense calida, quod eosdem in auras resol-

vant:

vant: multo magis, quæ vim eliquandi partes habent, ut violentiora purgantia. Eligenda vero alimenta optima, & coctu facilia medicamenta, quantum fieri potest, spiritibus insitis amica & benigna.

3 Morbi hujus essentia ex parte in torpore spirituum consistit: Insinuat hic torpor vitanda esse ea omnia, quæ nimium figunt ac densant spiritus, aut aliter eos stupefaciunt; qualia sunt narcotica, multaque mineralia, quæ de plumbi natura participant, qualia sunt *Minium*, *Cerussa*, *Lithargyrus*, &c. Vocanda autē in usum esse *exercitia*, *motus*, *frictiones*, eaque omnia quæ spiritus insitos excitare, eorumque torporem excutere, atque eos agiles reddere valeant. Tertia.

4 Tonus, qua justo mollior, laxior, flaccidior, indicat vitanda esse ea, quæ emollire, laxare, aut enervare partes solēt, eaque applicanda aut intus exhibenda, quæ easdem firmiores, solidiores, magisque tensas præstent. Idem Tonus, qua nimis interne lubricus, suspecta reddit ea omnia quæ interna lubricitate multum abundant, videturque nonnihil asperitatis aut etiam adstrictionis in iis quæ vel assumuntur, vel applicantur, desiderare. Quarta.

5 Vitalis constitutio læsa ex parte generationis vitalium spirituum non adeo multum refert: verum ex parte distributionis vitalium spirituum inæqualitas ejusdem magni momenti est, atque indicat ea esse cavenda, quæ sanguinis affluxum versus caput promoveant, ut & ea, Quinta.

quæ ejusdem affluxum ad partes primo affectas remorentur. Eligenda vero esse ea, quæ arteriarum pulsus in partibus primo affectis proritare, in capite vero potius sedare valeant. Idem propemodum indicat diminutior & tardior decursus sanguinis per partes primo affectas, nimirum pulsus ad istas partes evocationem. Transitus vero sanguinis per habitum partium nimis lubricus & facilis, indicatione sua coincidit cum lubricitate Toni modo notata. Defectus constitutionis vitalis ex parte unionis satis vigorosæ & jucundę inter spiritus vitales & insitos, indicat ea quę utrumque spiritum tum nutrire ac fovere; tum excitare ad majorem activitatem possunt, contraria autem esse fugienda. Calor vitalis, qua deficiens idem fere indicat quod intemperies frigida, modo simul habeatur respectus tum roboris cordis & arteriarum, tum vigoris vitalium spirituum.

Sexta. 6 Inæqualis nutritio ea indicat, quæ æqualem distributionem alimenti & caloris, aut certe eam liberaliorem ad partes minus debito nutritas promoveant. Partium extenuatio pleniorem nutritionem postulat: Irregularis capitis magnitudo extenuantia potius, quęque fluxum ab illa parte avertant, exigit. Idé indicant tumores ossium. Ossa incurvata indicant ea quę alimentum attrahunt ad latus cavum, ut frictiones moderatas; at vero reprimentia potius secundum latus gibbum, ut ligaturas comprimentes. Articulorum inflexio, artificiosam eorúdem erectionem, quoad fieri potest, in-

sinuat

sinuat. Pectoris angustia, pectoralia, & quæ pectus dilatare apta nata sunt, innuit; ejusdem acuminatio vero ea, quæ ad æqualem nutritionem faciant. Septima.

7 Imperfecta animalium spirituum distributio, & nonnihil in partibus primo affectis imminuta, indicat cephalica, eaque quæ istam distributionem facilitent, ut exercitia, frictiones, & similia. Defectus debitæ tensitatis nervorum partiumque nervosarum sive fibrosarum, indicat ea, quæ nervos roborant partesque firmant. Hæc de Indicationibus Curativis. Sequuntur Præservativæ.

Cap. XXVI.

Indicationes Præservativæ.

Indicationes hæ à *causis morbi* vel *antecedentibus* vel *præsentibus* deducuntur. Quæ à priori causarum genere fluunt ad Prophylacticam spectant: hic autem eas tantum proponimus, quæ à causis præsentibus & in corpore contentis, nempe vel *communibus*, vel *huic morbo propriis* proveniunt. Earum divisio.

Quamvis autem causæ communes non videantur productionem essentiæ morbi immediate attingere; vel eo ipso tamen quod *impedimenti vicem* subeant, curamque remorentur, suam ablationem indicant.

Sunt vero hę causæ, vel *impuritates*, aut *excrementitii humores in primis viis*

congesti & retenti qui, nisi tollerentur, non modo alimenta assumpta contaminarent, sed & appropriata medicamenta nonnihil retunderent, aliterve impedirent. Indicant ergo sui evacuationem sive *per blandiorem vomitum*, sive *per lenitivam purgationem*, prout occasio hanc vel illam viam magis suaserit: vel sunt *caussæ communes altius à partibus corporis imbibitæ*: & hæ quoque suam evacuationem postulant. Verum quandoquidem secundum hoc causarum communium genus iisdé propemodum medicamentis simulque exigitur, quibus causæ huic morbo propriæ utrumque hoc genus in præsenti consideratione conjungemus.

Causæ igitur huic morbo propriæ, ut & communes istæ quæ altius in corpus penetrarunt, dividi possunt in *sanguinem* & *humores cacochymicos*. Sanguis quidem, etsi in partibus primo affectis deficiat potius quam redundet, in capite tamen plerumque particularem sui evacuationem postulet, quæ *scarificatione venarum in Aurium concha* peragi solet. Huc quoque ex parte *fonticulos* inter primam & secundam vertebram colli excitatos referre possumus, licet hi forte respiciant insuper ex parte humores Cacochymicos.

Humores Cacochymici dividuntur in *eos, qui adhuc in venoso genere fluitant*; & *in eos, qui certis corporis partibus impacti sunt*. Causæ seu humores in venoso genere fluitantes indicant (primo & quoad intentionem) sui evacuationem, verum si ad motum inepti sint, (quoad executionem)

ecutionem) præviam præparationem. Quoniam autem plerumque evenit, ut non omnes humores æque sint inepti, sed alii satis, alii minus, quam par est, fluxiles, & medicamento obsequentes, in hoc casu primo indicant evacuationem minorativam, & deinde præparationem.

Porro hi humores in venoso genere subdividi possunt in *febriles* (nimirum si adsit febris putrida) & *non febriles*. Humores febriles vel sunt *turgentes*, vel *non turgentes*. Turgentes, hoc est, inquieti seu impetuose commoti, indicant quamprimum evacuationem, saltem minorativam, nisi forte natura sua ferantur ad partes externas & ignobiles, puta cutaneas, quemadmodum accidit in variolis & morbillis, similibusque morbis. Sin vero adsit febris, eaque acuta, neque humores turgeant, indicant primo illam peculiarem præparationem, quam *coctionem* vocant, ut reddantur pharmaco propinando obedientes, dein *evacuationem*. At si febris non acuta sed lenta sit, & etiamsi materia non turgeat, ejusdem tamen pars aliqua satis sit fluxilis; in hoc casu, quoad tempore morbi indicatur evacuatio minorativa primo, & postea reliquiarum coctio, ut illæ quoque suo tempore evacuentur.

Humores in venoso genere contenti non febriles, si fluxiles sint, indicant primo evacuationem: cum autem in hoc affectu perpetuo fere adsint humores lenti & crassi parumque sequaces, præparatio (saltem ubi jam præmissa est e-

vacuatio minorativa) primo indicatur: & quidem vifcidi humores incidentia, craſſi attenuantia indicant. Adhæc cum morbus ſit admodum chronicus & ad plures menſes, immo forte ad annum & ultra extendatur, non exiſtimandum eſt totam materiam morbificam poſſe ſimul præparari aut evacuari; quare hoc reſpectu indicat, ut, per vices, modo præparantibus, modo evacuantibus inſiſtamus. Præterea ſciendum eſt aliam præparationem & evacuationem exigere humores bilioſos, aliam melancholicos, aliâ pituitoſos & ſeroſos: & pro diverſitate humorum ſanguini commixtorum variam indicari tum præparationem, tum purgationem.

Humores certis corporis partibus impacti multo magis requirunt præparationem antequam evacuentur; juxta illud Hippocr. *Corpora quum quis purgare volet, ea fluxilia facia oportet.* Neque vero humoribus his generalis quædam præparatio ſufficit, ſed talis requiritur præparatio, quæ peculiari jure ipſam partem, in qua hærent, reſpiciat; adeoque aliam præparationem humores in Pulmone, aliam in Hepate, aut Liene, &c. poſtulant.

Denique quum omnium humorum genera propoſita, poſtquam evacuata ſunt, denuo poſſint ſuccreſcere, indicant ea eſſe vitanda, quæ ad ſimiles humores facile generandos faciant. Atque hæc de Indicationibus Præſervativis, reſtat nunc vitalis ſive conſervativa conſideranda.

CAP.

Cap. XXVII.

Indicatio conservativa, sive vitalis.

ORitur hæc Indicatio *ab iis rebus quæ sunt secundum naturam.* Ipsa enim *vita* in his consistit: *in triplici* nimirum *corporis constitutione, Naturali, Vitali, & Animali, supra memoratis.*

Naturalis sub se continet

1 *Temperamentum.*
2 *Spiritus insitos, eorumque copiam & vigorem.*
3 *Tonum partium.*
4 *Organorum structuram.*
5 *Continuitatem.*

Vitalis continet

1 *Generationē* &
2 *Distributionem* } *vitalium spiritū.*
3 *Participationem eorundem ab iis partibus, quibus distribuuntur, scil. ex unione eorum cum dictis partibus & calore communicato.*

Animalis similiter continet

1 *Generationem* &
2 *Distributionem* } *animaliū spiritū.*
3 *Debitam sensitatem partium à cerebri influxu pendentium.*

Hæc omnia, quod in iis vita consistat, vocantur *indicantia vitalia:* apud Autores vero ut plurimum communi nomine *virium* veniunt, sed paullo crassior est

hæc

hæc nuncupatio, cum, si proprie loquamur, vires in dictis constitutionibus radicentur, earumque facultates sint. Non autem in animo habemus usum loquendi innovare, modo res ipsa, uti est, intelligatur.

Indicantia hæc, quamdiu sana atque integra manent, generalē tantum ac ordinariam conservationem per rectum *sex rerum non naturalium* usum postulant. Ubi vero ea omnia ex æquo vel læsa vel imminenti læsioni obnoxia sunt, non tantum generalem conservationem, sed & curationi, aut præservationi commixtam requirunt. Porro ubi una aliqua constitutio, vel quædam ejus pars præ cæteris læsa fuerit, vel læsioni obnoxia, prætor generalem conservationem, specialem quoque postulat similiter peculiari curationi aut præservationi associandam: Denique ubi constitutio læsa, vel læsioni obnoxia certæ parti est affixa, ulterius eam conservationem specificat, ut nimirum habeatur simul respectus partis sic præ cæteris laborantis.

Vitalem Indicationem esse in plures species distisibilem.

Quod autem aliqui dicunt Indicationem vitalem esse unicam & Conservationem esse simplicem finem, neque ulterius subdividi posse, cum omnia quæ sec. naturam sunt uno virium nomine comprehendantur, unamque actionem τὸ ζῆν sui tutelam indicent. Nos quidem concedimus vires, si (ut supra monuimus) improprie pro causis suis, nempe constitutionibus tribus prædictis sumantur, uno nomine complecti posse omnia quæ sec. naturam sunt; sed nomen

men hoc tunc genericum erit, atque in tres ſpecies, tres nempe conſtitutiones, divisibile, in *vires naturales, vitales, & animales.* Concedimus porro finem ſive actionem indicatam, *viz.* Conſervationem, eſſe unam, ſed unitate generis, non ultimæ ſpeciei. Nam ea ipſa, quę ſunt ſec. naturam, ut ut genere conveniant, ſpecie tamen inter ſe differre poſſunt, & diverſimodam conſervationem exigere: immo fieri poteſt, ut quæ vires ex una parte conſervant, ex alia eas impugnent; Ex. gr. Vinum exhibitum vires vitales ſeu potius conſtitutionem vitalem erigit & roborat; interim vero vires animales, ſeu conſtitutionem animalem impetit & debilitat. Similiter aliam conſervationem requirit temperamentum, aliam organorum ſtructura, aliam continuitas. Quin & partium diverſa conſtitutio variam conſervationem indicat, neque eodem modo aut iiſdem actionibus conſervationi ſpeciali Hepatis, Pulmonum, Cerebri, &c. proſpicimus. Quare una aliqua conſtitutio præ cæteris debilis, ſeu una pars aliis infirmior, ſpecialem ſibique propriam conſervationem indicat, adeoque dividi poſſunt tum conſervatio tum conſervantia in ſpecies ſuas. Etenim Conſervatio & Conſervantia, animali conſtitutioni appropriata, differunt ab iis, quæ vitali aut naturali deſtinantur; atque hinc primæ tres ſpecies conſervationis petendæ ſunt; *viz. Conſervatio conſtitutionis animalis, conſervatio conſtitutionis vitalis, & conſervatio conſtitutionis naturalis*; ſimiliter Conſervatio Hepa-

tis,

tis, Hepaticorum, Lienis, Splenticorum, Pulmonum, pectoraliúm usu perficitur: immo omnes partes insigniter diversæ conservationem ulterius in species diriminunt. Hæc de divisione conservationis in suas species.

Esse quoque divisibilem in partes.

Porro eadem Conservatio videtur ulterius dividi posse in suas partes. Etenim Conservatio hæc quodammodo complexa est, & non tantum *similia* respicit, sed & suo modo *contraria*, nimirum indicatio tum curativa tum præservativa, eaque cum viribus æstimata, vel *permittit*, vel *prohibet*: Videtur ergo in tres partes absumi: in *Electionem similium*; in *Permissionem contrariorum sub certa conditione*; in *Prohibitionem eorundem sub diversa conditione*.

Electio similium maxime propria conservationis actio est, videturque adhuc duo genera similium respicere, *viz.* Similia quæ facile assimilari possunt, & proprie alimenta sunt, & similia, quæ licet quoad substantiam forte haud assimilari queant, continent tamen in se qualitates quasdam debitæ constitutioni certarum partium similes, quarum respectu naturæ familiaria & amica reputantur, certasque partes fovent ac roborant.

Objct. *Dicas, hæc revera esse alterantia & ad genus contrariorum spectare.*

Resp. Respondemus, ad utrumque genus diverso respectu referri posse; quatenus autem obtinent qualitates debitæ naturę partium similes, licet alias tantillum alterent, ad genus similium referenda esse. Nam & ipsa alimenta tantundem

quoque

quoque alterant, & inanitioni directe sunt contraria; ipsaque conservatio implicite includit quandam correctionem, ut supra probavimus. Vocantur autem hęc, ob mediam naturam inter similia & alterantia, medicamenta quidem, *sed Conservantia, Corroborantia, & Cordialia*: indicantur vero hęc à peculiari virium debilitate ut conservantia, & ut eligendâ, non vero tantum ut Permittenda; & in libris Practicorum communiter sic recensentur.

Permissio remedii naturæ nonnihil contrarii etiam ad hanc Indicationem spectat. Ea enim est hujus Indicationis dignitas & valor, ut indicata tum curativa tum pręservativa ad examen priusquam exequenda sint, revocet, & non tantum remedii qualitatem quantitatemque, sed & tempus repetendi, immo quicquid ad ejusdem usum aut utendi modum pertinet, eo usque moderetur ac limitet, ne ullatenus vires patientis excedat, iisve injuriam inferat: neque vero hic se sistit, ast amplius exigit, ut plus emolumenti ex morbi impugnatione, quã detrimenti ex vi naturæ illata, rebus secundum naturam accrescat. Et sub hac lege & conditione vitalis Indicatio multa permittit fieri, quæ viribus per se sunt adversa, semper tamen in favorem sanitatis, nunquam in vitæ præjudicium.

Prohibitio contrarii imperialis plane hujus Indicationis actus est, & imperio quodam dictat hoc vel illud (licet alioquin indicatum fuerit) non esse exequendum, quod ipsi vitæ forte periculũ

minetur

minetur, aut quod non plus emolumenti partibus sanitatis conferat, quam certi detrimenti. Atque hæc tertia & ultima hujus Indicationis vis & usus est. Hæc jam verbo uno ad morbum præsentem applicanda sunt.

Constitutiones omnes in hoc affectu esse admodum debiles & infirmas, vel ex ipsa teneræ ætatis consideratione facile eluceſcit. Naturalis vero insuper vi primæ essentiæ morbi ulterius impetitur; hinc etiam vitalis nonnihil patitur; sed neque animalis impune evadit, ut supra monstravimus. Quare tum generalis harum constitutionum, tum specialis habenda ratio est, tam in electione similium, quam in permissione, vel prohibitione contrariorum.

1 Igitur Eligenda sunt in hoc affectu alimenta optima, coctu facilia, consuetudini, ætati, annique tempori, quantum fieri potest, congrua. Respuenda contraria, quę nempe parum nutriunt, quę difficulter coquuntur, insueta, ætati temporique incongrua.

2 Eligenda sunt ea, quę constitutiones debiliores partesque prę cęteris affectas fovent & corroborant, eaque vel separatim exhibenda, vel alimentis aut medicamentis admiscenda; ea vero quę neque ad hunc scopum faciunt, neque alias indicantur, in totum sunt fugienda.

3 Permittenda sunt evacuantia benigna & mitiora aut alias satis correcta, quantitate moderata, & interpositis justis intervallis. Contraria vero nempe evacuantia violentiora & sera, præsertim quæ

partes

partes eliquare apta sunt, item in nimia quantitate, vel frequentius justo exhibita prohibentur.

4 Permittenda quoque sunt alterantia, sive humores præparantia, sive morbum ipsum corrigentia, talia quidem quæ simul sint naturæ familiaria & amica, vel talium admixtione satis correcta. Prohibenda sunt alterantia violentiora, valde discutientia, impense calida, aut quovis modo partes eliquantia vel dissipantia.

Cap. XXVIII.

Usus rectaque administratio Indicationum prædictarum.

PRopositis jam tribus simplicium Indicationum generibus, iisque in infimas species deductis, earum *usus rectaque administratio* proximo loco venit considerandæ: cujus exacta cognitio videtur absque ratiocinio & experientia obtineri non posse. Descendit enim ad individua, & non modo *selectionem* inter tot Indicata rei simpliciter agendæ in specie, sed & *inventionem quantitatis, loci, formæ, temporis, ordinis, materiæque remedii adhibendi* complectitur.

Quæ comprehenduntur sub usu Indicationum.

Consensus & *Dissensus* Indicationum multum ad hanc inventionem contribuunt. Consensus autem duplex esse potest: *Co-indicationis*, & *Permissionis*. Permissio vel *lucro* esse potest permittenti, vel *damno*, vel horum *neutri*. Permissio damnosa

Consensus Indicationum species.

damnosa semper *cum circumspectione* admittenda est, eoque tanto majori, quanto majus damnum permittenti inde adveniat. Permittens enim etsi in bonum publicum de suo privato iure nonnihil cedat, semper tamen respectu totius lucrari supponitur.

Dissensus earundem species.

Dissensus Indicantium duplex est; nimirum vel *Contradictorius* vel *Contrarius*. Contradictorius apud Autores *Prohibitio* vocatur & *Interdictio*, & viribus ut plurimum appropriari solet, cui hoc respectu semper obsequendum. Dissensus Contrarius *Contraindicatio* dicitur, isque non simpliciter prohibet, nisi quatenus subit rationem impedimenti, aut urgentioris Indicantis.

Quid agendum ubi consentiunt Indicantia.

I Ubi consentiunt Indicantia, sive Coindicando sive Permittendo, omnibus Indicatis simul (si fieri possit) satisfaciendum: Sin hoc forte perfici nequeat, medicamenta ejusmodi cæteris præferenda, quæ pluribus, aut saltem urgentioribus scopis simul respondeant. Quod si autem hujusmodi simplicia non reperiantur, apta diversorum simplicium inter se compositio instituenda est.

Non multum inter se dissentiunt Partes essentiæ hujus morbi.

Partes essentiæ hujus morbi, licet admodum variæ sint, haud multum tamen inter se dissentiunt, nihilque obstat quin magna ex parte simul possint respici. Medicamenta enim temperate calida & sicca possunt una spiritus insitos fovere, et forte ad excutiendum eorum torporem conducere, simulque tonum partium nonnihil firmare, tum ad æqualem sanguinis distributionem, adeoque

ad

ad nutritionis æqualitatem facere: Item ſpiritibus vitalibus atque animalibus vigorem conciliare, arterias in partibus primo affectis proritare, nervos roborare: ad quæ capita non inepte omnia Indicata eſſentiæ morbi fere reduci poſſunt. Porro vires quoque, licet impenſo calida, aliaque omnia violentia prohibeant, hæc tamen ut moderata, ſatiſque naturæ familiaria permittunt. Cauſſæ ſimiliter his Indicatis in ſpecie parum repugnant, licet quoad tempus & exequendi ordinem nonnullus notetur diſſenſus, quemadmodum infra ſuo loco videbimus.

Quare quatenus & quouſque hæc inter ſe conſentiunt, dum curationi operam damus, una opera reſpicimus ſimul non tantum vires, ſed & nonnihil earundem cauſſas, eligendo ea remedia curatoria, vel iis illa admiſcendo, quæ una poſſint craſſa attenuare, viſcida incidere, obſtructa aperire, & ſimilia. Similiter, dum in præſervatione aut eradicatione cauſſarum maxime occupati ſumus, talia eligimus evacuantia aut talia pharmacis admiſcemus, quæ ſimul ex parte morbo ſint contraria. Atque hęc omnia eo conſilio agimus, ut quamplurimis intentionibus (uti dictum) ſimul ſubſerviamus.

Circumſtantiarum actionum Indicatarum inventio.

Inventis autem actionibus in ſpecie ſimpliciter requiſitis, proximo loco earum *debitæ Circumſtantiæ* exquirendæ ſunt.

1 Quantitatis.

1 Ergò, cum morbus hic magnus ſit, *magnam remedii Quantitatem* ex parte ſui exigit

exigit. Nam remedium morbo impar eum extirpare nequit. Oportet igitur ut medicamenti dosis morbi magnitudini adæquata sit. Atqui vires in hoc affectu tantam remediorum molem simul adhiberi non permittunt. Quare quantitatem istam partiri & per vices administrare oportet. Morbus enim hic chronicus est, tardique motus, neque præcipitem curationem necessario exigit, &, quamvis vires neque fortiora remedia, neque majori quantitate exhibita facile ferant, per ἰατρείαν tamen evacuantium remediorum usum permittunt. Quare, per vices, modo præparantibus, modo evacuantibus, modo alterantibus, aut corroborantibus insistendum est.

2 Loci. 2 Quod ad *locum administrandi* attinet, generalis regula est, Remedium ad morbi ejusve causæ sedem pertingere debere. Si ergo in vasa penetrare debeat, per os assumendum; sin sufficiat crassa tantum intestina attigisse, per anum injiciendum. Si naturæ propensione humores facilius ad superiora ferantur, vomitu exigantur; sin contra, per secessu. Similiter pro Naturæ inclinatione, per salivationem, per mictum, per sudationem exterminentur. Particulares evacuationes in ipsis partibus affectis vel vicinis instituendæ. Ita enim vis remedii ad morbi causæque sedem certius pervenit: atque ob eandem rationem externa & topica loco proximo convenienti applicanda. Sciendum tamen est, inter nonnullas partes sympathiam quandam observari, in quo casu frequenter parti, cum

qua

qua consensus intercedit, non autem affectæ parti, vel vicinæ admoventur remedia.

3 *Forma medicamenti* ex parte quoq; à regula modo proposita dependet. Si enim scopus sit lenire fauces, aut asperam arteriam, linctus formam eligimus, ut remedium sensim partes affectas perlabatur, easque diutius tangat. Similiter, laborante ventriculo, sæpe Pilulas, Pulveres, aut electuaria præscribimus, quo diutius in eo commorentur; Renibus liquida potius designamus, quo facilius ad eos cum sero deferantur. Formæ insuper nonnihil etiam ab ipsa morbi natura pendent: ut in febribus ardentibus liquida fere tantum conveniunt, sicca vix admittuntur; contra in morbis humidis, alvoque nimium fluente, formæ solidiores præferuntur. Denique formæ medicamentorum nonnihil quoque à materia medica dependent; sic Cassia, forma Boli, Cornu cervi, Corallium, & similia, forma pulveris; alia infusa felicius operantur. Similiter amara, nauseam moventia, fœtida, Pilularū forma celantur, interdum quoque deaurantur, aut etiam boli forma nebulis involuta exhibentur. 3. Formæ medicamenti.

Notandum hic est non tanti momenti ut plurimum esse remedii formam, quin ea cedat faciliori aut commodiori administrationi, respectu admissionis vel receptionis ægrotantis. Multi enim Pilulas nequeunt deglutire, alii potiones vomitu statim rejiciunt, alii alias forte formas aversantur. In hoc affectu, cum

pueri

pueri ferme omnes medicamenta respuant, ea præ cæteris præferenda est forma, quæ iis minus molesta minusque nauseam creare deprehendetur.

4 Temporis agendi.

4 Quod ad *tempus agendi* attinet, danda opera est, ut ita administrentur medicamenta, ut quam minimum tempora cibandi, exercendi, dormiendi, interturbentur. Per hanc enim ætatem vires vix integræ conservantur, absque his per justa intervalla interpositis.

Evacuantia, aperientia, attenuantia, incidentia, primo mane & jejuno ventriculo propinanda; & si repetenda eodem die, hora quarta pomeridiana, similiter jejuno ventriculo. Roborantia, adstringentia, partes firmantia, quietem procurantia, vesperi potius sumenda vel admovenda; nonnulla autem ex his post cibum etiam forte conveniant.

Quę cibo admiscentur medicamenta, palato grata esse debent, ne ventriculo nauseam moveant, & coctionem impediant, aut cibi fastidium pariant, viresque dejiciant.

5 Ordinis procedendi.

5 Quod ad *Ordinem procedendi* attinet, duę occurrunt generales regulæ. Prior est, Id agendum esse prius, quod præmissum viam sternit ad sequentia remedia, ideoque id prius esse removendum, quod rationem impedimenti habet respectu deinceps agendorum. Posterior est, Urgentiori Indicanti semper prius esse subveniendum, nisi aliquod obstet impedimentum.

An morbus vel

Si ergo quęstio sit, utrum morbus, an morbi

morbi cauſſa prius operam medicam exigat, facilis erit ſecundum priorem regulam reſponſio: Cauſſas nempe habere rationem impedimenti reſpectu curationis morbi: Eam quippe fovent, vimque medicamentorum infringunt. Quare priuſquã morbũ ipſũ preſſius impugnamus, cauſſæ, quantum fieri poteſt, averruncandæ, aut ſaltem ita minuendę, circumandæque, ut quam minimum morbi expugnationi obſtent. Interim tamen dum in amovendis cauſſis ſatagimus, non plane negligenda eſt morbi eſſentia, ut ſupra monuimus. Immo ita domita nonnihil morbi cauſſa, ut ad tempus curationem non inſigniter impediat, licet (nondum penitus evictis ejectiſque cauſſis) eſſentię morbi impugnationem paullo preſſius aggredi; ea tamen lege, ut, inſurgentibus iterum & de novo rationem impedimenti induentibus cauſſis, ad earum ſubactionem, evacuationemque protinus revertendum ſit; adeoque in Chronico hoc affectu, per vices, modo cauſſæ, modo morbus ipſe impugnandus venit: atque hanc actionum viciſſitudinem vires facilius tolerant, quam ſi ſolis cauſſis expugnandis, donec penitus exterminentur, continue inſiſteremus.

ejus cauſſa prius à medico invadi debeat?

Porro quum cauſſæ morbificę in hoc affectu ob viſciditatem, craſſitiem, & forte impactionem, ineptæ ſint ad motum; liberandæ ſunt, priuſquam evacuentur, ab hoc impedimento & præparandę: Siquidem *quæ movenda ſunt fluida prius facere oportet*, ut dictat ſenex.

Similiter

Similiter craſſities iſta, viſciditas, & impactio materiæ, ſi adſit, indicant attenuantia, incidentia, & deobſtruentia; ſed hęc non tuto propinantur impuritatibus adhuc circa primas vias reſtagnantibus, quæ cum medicamentis in venas forte rapiantur, ſanguinemque ulterius inquinent, vel ſaltem efficaciam medicamentorum retundant. Habent hæ ergo rationem impedimenti, & omnino primo ſunt amovendæ.

Denique univerſalia evacuantia particularibus & topicis ſunt præmittenda, præſertim ubi utrique intentioni ſimul incumbere non licet. Nam cauſſæ univerſales in corpore fluitantes facile in locum particularium evacuatarum ſurrogantur, affluxumque ad partem prius affectam renovant: cauſſarum vero particularium tenuior & ad motum aptior pars evacuatur, craſſior vero forte magis imo ingitur. Quare univerſales cauſſæ adhuc in corpore ſcatentes rationem impedimenti habent reſpectu evacuationis particularis, & per conſequens prius ſunt exigendæ.

Poſterior regula erat, Indicanti urgentiori, ſi nullum interveniat impedimentum, primo ſuccurrendum eſſe. Urgentius Indicans id dicitur, *quod majus periculum minatur* Omne autem Indicans urgens ſupponitur graviter corpus affligere, vireſque cum periculo atterere. Hoc itaque reſpectu, aliquando morbo eſt opitulandum primo, neglecta cauſſa; aliquando etiam graviori ſymptomati, neglectis tum morbo tum ejus cauſſa;

ut

ut in concitatiori alvi fluore, diuturnis vigiliis, profusiori sudore, & similibus. Sed vel in hisce casibus habenda simul ratio est, quousque fas est, tum morbi tum caussæ, & ubi tantummodo correctum est urgentius symptoma, impetusve morbi repressus, ad regularem procedendi methodum redeundum est. Hæc enim regula non ad ordinarium legitimumque curandi ordinem, sed methodum necessitatis pertinet.

Adhæc, ad rectam Indicationum administrationem absolvendam, *accurata materiæ medicæ cognitio* requiritur: de qua in sequentibus agendum.

Cap. XXIX.

Materia medica propositis Indicationibus respondens. Et Primo χειρυργική.

Materia medica *experientia* potissimũ & *analogismo* adinvenienda est, quamvis neque aliud qualecunque ratiocinium plane excludendum putemus. In tria genera vulgo, neque inepte, distribuitur: in præsidia χειρυργικὰ, φαρμακευτικὰ, & διαιτητικὰ, quę hic suo ordine prosequemur. Tria summa genera præsidiorum medicorum.

Chirurgica in hoc affectu communiter recepta ac probata, & præ cæteris famosa, duo præsertim sese offerunt: *scarificatio* 1 Chirurgica:

Scarificatio Aurium.

rificatio Aurium, & Fonticulus. De pluribus vero aliis (ut infra videbimus) inquisitio instituetur; viz. de *Cucurbitulis*, de *sanguisugis*, de *vesicantibus*, de *Ligaturis*, & *Fasciis*. *Venæ sectionem* vero ipsam vires non tolerant, ut cuivis facile innotescit, qui ad ætatis fragilitatem, habitus partium extenuationem, venarumque gracilitatem attendere velit.

Agmen ducet scarificatio Aurium. Empirici nostrates, qui hunc affectum tractant, eam pluris faciunt quam quis facile putaret. Solemniter quippe in sua praxi eam celebrant, absque ea vix felicem curationem sperant. Nos vero, licet hoc remedii genus non im[illegible]mus, vidimus tamen absque ejus usu nonnullos pueros feliciter sanatos. Et illi ipsi, qui ei plurimum tribuunt, maxima ex parte vix notabilem quantitatem sanguinis eliciunt. Aliqui tamen testantur se vidisse satis largam sanguinis copiam cum euphorja hac operatione eductum. Ut ut sit, credibile est eos pueros facilius hoc remedium ferre, plusque emolumenti ex ejus usu obtinere, qui sanguinei sunt & habitiores, quique *alogotrophia* potius quam *atrophia*, aut *tabe, aliave magna partium extenuatione* detinentur. Practici nostri plerumque bis vel ter, interpositis septé circiter dierum intervallis, hanc operationem repetunt. Rarius lanceola, aut acutiori scalpello, frequentius ordinario obtusiorique cultello id perficiunt, nihil dolorem ejulatumque Infantis moræntes. Porro, in concha Auris ut plurimum

rimum hanc ſcarificationem inſtituunt; aliqui vero eam ad interiorem & exteriorem Alæ ſive Pinnæ Aurium circumferentiam, immo ad Helicen usque extendunt. Nemo hactenus, quod ſciimus, poſterioris lateris Auriculæ ſcarificationem tentavit: quamvis revera haud obvium ſit rationem reddere, cur illic adminiſtrata minus conduceret quam in ipſa Auris Concha.

Adferre tamen libet conjecturam ſaltem noſtram, cur concha Auris præ cæteris ejus partibus ad hanc operationem eligatur, quam tamen nondum confidenter adſtruimus; etſi probabiliter ad minimum ſuſtinere poſſe putemus, modo verum ſit id, quod diligentiſſimus *Fabricius Hildanus*, (*Obſerv. 4. Centur. 1*) de nervo quinti paris retulit: huic enim obſervationi conjectura hæc ſunditus innititur, eaque forte vacillante una corruit. Conjectura ipſa hæc eſt. Suppoſitis diſtributione & uſu nervi quinti paris loco citato memoratis, ſcarificatio in Concha Auris commode cum liberare iſtum nervum à qualicunque oppreſſione, tum torporem ejuſdem excutere, eique vigorem præſtare poteſt. Eſt enim Concha Auris locus ei proximus, quem ferro licet attingere. Quare evacuatio hic facta materiam prementem fere originem illius nervi immediate derivare, ſimulque dolorem inferendo caloremque augendo, qualemcunque torporem ejuſdem excutere, vigoremque ei addere poterit. Si ergo nervus hic (ut ibidem aſſerit celeberrimus ille Chirurgus, aut

Conjectura cur concha Auris præ cæteris ejus partibus in hoc affectu ſcarificetur?

pars ejus ad ſpinalem medullam diſtribuatur, neque ſpinalem medullam unquam deſerat, ſed continue ramulos cum nervis ſpinalis medullæ ad crurum & pedum extrema emittat; facile concedi poteſt, nervum hunc ab obſtructione ſic liberatum, excitatum, ac vigorem nactum, ipſam ſpinalem quoque medullam, omnesque inde ortos nervos, quos ex iſta ſententia ad extrema concomitatur, nonnihil excitare, iisque vigorem aliqué imprimere. Quare neceſſe eſt ſcarificationem hoc loco factam, in concha nempe Auris, longe majoris eſſe efficaciæ, quam ſi in ulla parte ejuſdem Auris à nervo quinti paris remotiore adminiſtraretur. Idem fere dici poteſt de vulnuſculo hic facto per obtuſiorem cultellum. Etenim affirmant nonnulli Practici præſtantiam hujus operationis non tam quantitatem ſanguinis extrahendi, quam doloris in iſta parte excitationem reſpicere: quod ad excitationem vigorisque conciliationem nervo quinti paris facile quis reducat.

Utilitas Scarificationis Aurium in hoc affectu.

Sed, miſſa hac conjectura, alias proponamus conſiderationes, quarum reſpectu Scarificatio hæc ex uſu eſſe poſſit in hoc affectu. 1. Hinc obtinemus particularem quandam capitis evacuationem; quæ pars, ſi quæ alia, in hoc morbo particulari plenitudine gravatur. 2. Ipſa ſanguinis evacuatione ejuſdem craſſitiem & viſciditatem nonnihil corrigimus, adeoque æqualiorem ejus diſtributionem, æqualioremque partium nutritionem promovemus. 3. Hinc non-

nihil

nihil excutimus partium torporem.

Notandum, hanc operationem, quum evacuationem particularem & topicam præstet, non simpliciter primum locum in methodo curandi mereri, sed, præmissis universalibus, suo loco subsequi debere.

Deniq; ridiculum quid, & superstitiosum sapit, quod aliqui in hujus scarificationis administratione factitant; dum dextræ Auris sanguinem lana exceptum sinistro hypochondrio, sinistræ dextro alligant. Hæc de Aurium scarificatione.

Fonticulus in hoc affectu multum probatur, atque hoc solo fere præsidio nonnullos puellos liberatos fuisse novimus. Etenim non tantum ea omnia præstat, quæ scarificationi Aurium modo adscripsimus; sed & specialiter Hydrocephali potens cum curativum, tum præservativum remedium est, & ad enormem capitis magnitudinem paullatim imminuendam, ejusque superfluam serositatem evacuandam, tum inordinatum ossium augmentum reprimendum multum conducit. Manifeste quoque nimiam spinalis medullæ humiditatem exsiccat, calorem suscitat, nervos roborat, eorumque torporem excutit. Fonticuli utilitas.

Quum vero hoc remedii genus per se ulcus quoddam sit, & nonnihil doloris puello gestanti inferat, nutricique insuper aliquid molestiæ indies creet, non id præscribendum, nisi ea morbi magnitudo sit, ut eam aliis remediis absque hoc satis domari posse vix speremus. Ad hoc remedium non adscendendum, nisi necessitas urgeat.

Excitandus est Fonticulus inter secundam & tertiam Colli vertebram. Aliqui eum *cauterio actuali* inurunt, sed hunc modum ob doloris vehementiam minus probamus: alii cauterio potentiali; sed neque hic arridet, quod caustica infantuli naturæ nimis sint adversa, & nescio quid venenosi insinuent, spiritusque saltem nimiopere dissipent, partesque debilitent. Probamus ergo potius Fonticuli excitationem per *simplicem incisionem* acuto scalpello factam.

Modus commodus Fonticulum ad nucham excitandi.

Aliqui utuntur *forcipe ferreo* in hunc usum concinnato, quo cutem, loco incisionis prius atramento notato, comprehendunt, moderataque compressione sensum partis obtundunt, dein per forcipis medium quod oblongo foramine pertusum est, scalpellum adigunt, incisionemque perficiunt. Facto vulnere pisum seu artificiale, seu naturale intrudunt, super-impositio Emplastro digestivo; huic chartam vel linteum multoties complicatum imponunt, eique scutum parvulum ex materia aliqua solida factum adhibent, cui fasciæ quatuor assuuntur, quarum duæ superiores fronti circumductæ aciculis capitis integumentis annectuntur; iquæ inferiores involucris pectoris simil ter aciculis affiguntur, atque hoc modo deligato vulnere pisum non excidit, sed fonticulum format. Aliqui loco Fonticuli *setaceum* surrogant, quod non plane improbamus, nisi quod nimis molestum ac dolorificum videatur, solusque Fonticulus ut plurimum sufficiat. Hæc de Fonticulis. Sequuntur

jam

jam aliæ nonnullæ Chirurgicæ operationes examinandæ.

Primo loco *Hirudines* se offerunt. Harum certe applicatio quid in hoc morbo curando præstet vix dum satis experti sumus. Si rationem solam consulamus, suspicamur plus damni quam emolumenti ab hoc remedio exspectandum esse. Etenim, si alicui capitis parti admoverentur, ob continuam suctionem facile affluxum sanguinis eo versus concitatiorem efficerent. Sin aliis partibus applicarentur, sanguinem à partibus ejus inopia prius laborantibus detraherent. Hirudinum usus plus nocere quam prodesse videtur.

II. *Cucurbitulas* non tam noxias quam inutiles existimamus. Equidem eas quæ *cum scarificatione* adhibentur plane rejicimus, non tantum argumentis modo allatis de sanguisugis ducti, sed & metu dejectionis virium ob dolorem, & administrationis molestiam, moti. Cucurbitulas *sine scarificatione*, ut dicere cœperamus, neque vires, neque morbus, ejusve causæ videntur respuere. Verumtamen parum hæ efficaces sunt, & perpendendum relinquimus, an utilitas, qualis qualis, ex earum usu emergens, applicationis molestiam satis compenset. Cucurbitulæ cum scarificatione improbantur ut noxiæ; sine *scarificatione*, ut inutiles.

Nihilominus fieri potest, ut respectu alterius morbi conjuncti earum usus alicujus sit momenti; ut in Pleuritide, Phrenitide, atque ubi imminet periculosus aliquis fluxus in partem quandam principem. In quo casu, forsan iste, quæ cum scarificatione adhibentur, in grandioribus & robustioribus puellis admitti possint. Applicentur autem vertebris Nisi alterutros effligitet alius aliquis complicatus affectus.

Colli, Humeris, Natibus, interioribus Femoris partibus, plantis Pedum, aliisque locis, prout peculiaris affectus complicatus postulaverit.

Notandum interim in tam tenera ætate multo minores eligendas esse Cucurbitulas, easque minori cum flamma admovendas, quam alias in adultis solent, scarificationemque, si omnino admittatur, leviori manu infligendam esse.

Vesicatoria interdum utiliter hic adhibentur.

III. Quod ad *vesicatoria* attinet, licet eorum etiam usum nondum satis experti simus, & licet tum *σπαστικὰ*, quod partes eliquent; tum *καυστικὰ*, quod altius penetrent, crustamque inducant, ab hoc affectu arceamus: illa tamen *πυρετικὰ*, quæ vesicas tantum in cute excitant, utiliter interdum admitti posse conjectamus.

Object.

Dicas, *Cantharides (è quibus fere conficiuntur) impense esse calidas, & præterea venenosæ cujusdam qualitatis suspectas.*

Resp.

Respondemus, Ne quid de Cantharidum qualitatibus hic interseramus, concedimus id quod asseritur. Verum cum externæ tantum cuticulæ, & particulæ ejus non adeo extensæ adhibeantur, & cum statim excitata vesica amoveantur, earum caloris excessus, virusque, vix ultra cuticulam altius in corpus penetrat, adeoque sine notabili detrimento remedium hoc adhiberi potest. Sed quæras, quid hinc commodi exspectare liceat? Dicimus, efficaciter intemperiem frigidam & humidam corrigere, torporemque spinalis medullæ, cerebri, nervorum,

Eorum utilitas notatur.

rum, partiumque nervosarum excutere, simulque omnes partes firmiores ac rigidiores præstare, pulsumque fortiorem in externis partibus proritare: quę omnia in hujus affectus curatione non parvi sunt momenti.

Aliquis nostrum testatur se bienni puello, qui hoc morbo affectus in febrim quoq; continuam & malignam incideratquiq; jā prope phreneticus factus fuerat, præscripsisse inter alia vesicatorium vertebris colli adhibendū. Manifestum hinc levamen puellus mox sentire visus est, & post aliquot dies à febre liberatus est. Postea bis vel ter infusione *Rhabarbari*, & c purgatus, præter omnium exspectationem, fere absque aliis remediis, hunc affectum quoque excussit. Verum enimvero, ut vix reperias commodum, quod nulla secum incommoda trahat, ita neq; hoc remedium ab omnia parte culpa sua vacat. Molestum quippe & dolorificum atque ingratum pueris est: eorum porro lusus & exercitia ad tempus interturbat; cujus rei respectu, nisi forte alius morbus complicatus exercitia una interdixerit, vix plus utilitatis, quam damni præstare poterit. Adhæc, vis ejus subito exeritur, & mox paullatim exhausta est, quod non usquequaque chronico morbo quadrat. Denique Fonticulus, qui chronicis morbis proprius est, in hoc affectu ejus vicē supplere posse videtur. Quocirca, vix medicamenti vesicatorii applicationem in hoc curando morbo admittimus, nisi acutus una complicetur morbus, qui sui caussa hoc remedii genus exigat; ut in casu

Observatio.

Tum etiam incommoditas.

modò proposito evenit.

Locus commodissimus applicationis vesicatorii in hoc affectu.

Ubi autem res postulat; ut applicetur vesicatorium, commodissime id fieri posse videtur super vertebras Colli, nisi forte Fonticulus illic excitatus locum præoccupaverit; in quo casu, vel pone Aures, vel 4 digitos infra Fonticulum admoveatur. Non negamus, illud, respectu aliorũ morborum complicatorum, aliis atq; aliis locis adaptari posse: hic vero designa mus locum, qui maxime respiciat præsentem morbum.

Ligaturæ hic ex usu esse possunt.

IV. *Ligaturæ* quoque ad hunc titulum referri posse videntur, & quidem concedimus eas aliquando in hoc affectu non plane esse inutiles, nimirum, si eæ valde moderatę, si per justa intervalla, si locis convenientibus adhibeantur; verum cavendum, ne incremento partis, cui applicantur, obstent; quod fit, si satis laxę sint, si ex lana molliori confectę, si interdiu aut aliqua diei parte, leviterque constrictæ, noctu vero solutæ, si cruribus supra genu, brachiis supra cubitum, adaptentur.

Sed cum cautione usurpandæ.

Ad quid eæ conferant.

Videntur autem Ligaturę hic conducere ad sanguinis affluxum à capite revellendum, eundemque versus partes extenuatas externasque & extremas promovendum; præterea ad nimis lubricum sanguinis regressum in illis partibus, quibus adhibentur, retardandum.

Fasciarum usus & modus eas concinnandi.

V. Huc quoque spectat certarum partium *Fasciatio*, quippe quæ cum Ligaturis affinitatem habet. Solent enim aliqui ad firmandas partes earumque calorem fovendum fasciis laneis eas involvere;

vere; pedes nimirum, tibias, genu, & vicinas femoris partes. Cavendum vero, ne eæ nimis strictæ liberam partium accretionem impediant.

Alii loco Fasciarum *Ocreas fibulatas* panno laneo succinctas conficiunt; has vero non sola firmitatis, aut caloris gratia effingunt, sed etiam ad curvitatem ossium reducendam, vel ad inflexos Articulos erigendos. Aliqui *Ferulas* addunt, aut *particulas fissi ossis Ceti.*

Verum tria potissimum in harum structura sunt notanda.

1. Ut premant aliquantulum extantem & convexam ossis partem.

2. Ut cavam vix tangant, quin potius à compressione defendant.

3. Ut parti sint bene adaptatæ, & articulorum motum quam minimum impediant.

In hunc finem istæ ocreæ anteriori parti, quæ genu spectant, transversim secari possunt. Similiter, si opus sit ut Ferulæ supra genu extendantur, ad sustinendam & erigendam ejusdem deflexio-

nem, requiritur, ut cum duplici articulo formentur in loco flexionis, in hunc modum.

Forma

Forma articulationis Ferularum.

A B *Rotulæ binæ ferreæ.*
C D *Axes articulorum ferularum.*
Clavi quibus Rotulæ firmiter junguntur.
F G *Asserculisive ferulæ binæ.*

Loco Ferularum commodius substitui possent tenuissimæ laminæ ferri, totumque instrumentum ex ferro fabricari posset.

Axes bini C D, super quos flectûtur asserculi sive ferulæ F G, duobus orbiculis dictis infiguntur. Orbiculi vero ipsi A B C ex laminis ferri quam tenuissimis (modo firmis) ne nimis graves sint, fabricantur; simulque admodum politis, ne asserculorum motum impediant. Æqualis sunt diametri, seu latitudinis, hi Orbiculi, puta duorum circiter digitorum transversorum, atque ita inter se coaptantur, ut ab omni parte paralleli sint. Interstitium vero inter illos tantum sit, ut assereulorum capita apposite excipiat.

Porro

Porro orbiculi hi, non modo dupliçi axe C & D, ſed & quinque clavis ferreis, in ſchemate punctulis minoribus notatis, transfigendi, firmiterque copulandi ſunt. Denique tota inſtrumenti compoſitio ita comparanda eſt, ut commode alligari poſſit ad prominens latus genu inflexi, ſimulque tam extenſioni quam ordinariæ ejuſdem flexioni inſerviat, deflexionem vero ejus ad alterutrum latus, præſertim ad prominens, coerceat: quæ cauſſa eſt cur duplici orbiculo axes infigantur, ſcilicet ne qua juncturæ vacillent, & deflexioni genu cedant.

Similiter torſio pedum faſciis quoque frequenter emendatur. Si digiti pedum extrorſum diſtorquentur, nocte faſciis colligandi ſunt, interpoſito inter calcaneos talosque pulvinari. Sin introrſum digiti pedum torqueantur, colligandi ſunt tali, immittendumque pulvinar inter majores pedum digitos.

Denique ad truncum corporis erigendum, aut erectum ſervandum, ſolent *thoraces ex duplici panno conſutos* conficere, interpoſitis exiguis *aſſerculis oſſis ceti*, quos ita corporibus Infantium adaptant, ut ſpinam erectam ſiſtant, oſſa prominentia reprimant, incurva ab ulteriori compreſſione defendant; curandum quoque ne ſint, aut ſaltem quam minimum, puellis geſtantibus moleſtæ, atque ut ſuper ſpinam dorſi funiculo in hunc uſum accommodato fibulentur.

CAP.

Cap. XXX.

Materia φαρμακευτική. Et 1. *Eluentia primas vias.*

Materia hæc multiplicis ac nobiliſſimi uſus eſt, plurimisque Indicationibus ſatisfacit. Omnia quippe medicamenta, quæ vel morbi cauſſas, vel morbum ipſum, vel ſymptomata primo reſpiciunt, exceptis ſolis Chirurgicis, complectitur.

Remediorum Pharmaceuticorum diviſio.

Dividitur in remedia *Interna* & *Externa*; & utraque in *Simplicia* & *Compoſita*. Interna demum ſubdividi poſſunt in *Eluentia primas vias*, in *Præparantia*, in *elective Evacuantia*, in *Alterantia ſpecifica*, & *Roborantia*, denique in *Corrigentia ſymptomata*.

Primum locum inter hæc merentur Interna, atque ex illis Eluentia impuritates primarum viarum: cum hæ, ut ſupra monuimus, habeant rationem impedimenti reſpectu remediorum ſequentium, & ſimpliciter primo ſint amovendæ. In ſingulis autem titulis, quantum rei natura ſert, ſimplicia compoſitis præmittemus.

Eluentia hæc tria genera adhuc comprehendunt, viz. *Enemata*, *Emetica*, & *Cathartica lenitiva*.

Enematum

Enematum usus, eorumque Formulæ quædam.

Quando Enemata proficiunt.

Enematum injectio, priusquam pressius curationem aggredimur, tunc potissimum prærequiritur, cum alvus adstricta est, fæcesque induratæ; aut cum flatus intestina torquent, aut quævis intestinorum tormina ægrum affligunt. In quibus casibus non modo ante quamvis præparationem, sed & ante vomitionem, immo ipsam lenitivam purgationem nonnunquam utiliter præmitti possunt. Nunquam hæc è violentioribus purgantibus, frequenter vero è lenitivis & benignis, aliquando etiam è solis lubricantibus & flatus discutientibus constant. Longius à pastu injicienda sunt tepide. Formulas aliquot subnectemus.

Cautio in eorum præscriptione observanda.

℞ *Lactis vacc. rec. calfact.* ℥iij. iiij. vel v. *semin. anis. pulv.* gr. x. *sacch. commun.* ℈j. ℈ß. vel ℥ij. *vitellum unius ovi.* M. F. Enema. Addi insuper potest *butyr. recent.* ℥ß.

℞ *Decocti emoll.* q. s. *elect. lenit.* ℥ß. *syr. rosat. solut. viol.* an. ℥vj. *ol. chamæm.* ℥j. M. F. Enema. Injic. tepide.

℞ *Rad. alth. contus.* ℥ß. vel ejus loco *fol. malv.* vel *flor. ejusdem* M ß. *fl. chamæm.* p. j. *semin. carminant.* ℥ij. Coq in s. q. *seri lactis cerevisiati. Colaturæ* ℥iiij. vel v. adde *diacassiæ* vel *Elect. passulati* ℥ß. *syr. rosat. solut. simpl. sacch. culinaris* an. ℥j. *butyr. recent.* ℥vj. Addi potest, si visum fuerit, *vitellus unius ovi.*

℞ *Fimi equi non castrati recentis* ℥ß. *semin. anis. fœnic. malvæ contus.* an. ℈ß. *flor. chamæm.* p. j. Coq. in s. q. *seri lactis cerevisiati.*

visiati. In colatura ℥iiij. vel v. solve ℔ß. *viol.* ℥x. *facch. communis, ol. rosat.* an. ℥ß. M. F. Enema.

Emeticorum usus, & quædam eorum Exempla.

Emetica, seu vomitoria, tria potissimum præstant. 1. Humores sive crudos, sive corruptos, & quascunque impuritates in ventriculo contentas evacuant, idque per viam breviorem & expeditiorem, quã si per ambages & anfractus Intestinorum circũducerentur. 2. Agitando omnes partes, imprimis viscera, humores crassos viscidosque iis adhærentes, aut iisdem impactos magis fluxiles reddunt, & frequenter excutiunt, præsertim in ventriculo & Intestinis collectos: quo nomine Colicis doloribus subveniunt, & ad obstructiones reserandas multum conferunt. 3. Omnium partium corporis, & maxime viscerum, excretricem facultatem efficaciter stimulant, hincque latentes morborũ, imprimis febriũ intermittentiũ, fomites & causas sæpe unica vice exhibita eliciunt. Enimvero inter vomendum Intestina quoque ad excretionem per sedem stimulantur; Hepar per Porum Biliarium bilem; Pancreas peculiare suũ excrementum per novum ejusdem vas profusius in intestina effundit; Lien quoque sorte suum excrementum in ventriculum per vasa nondum satis nota uberius exonerat; Renes serum per ureteres; Pulmones efficaciori tussi cõcitata pus mucũve per trachæam Emeticorum utilitas.

chæam arteriam; Cerebrum, pituitam, & salsum serum per palatum, per nares, oculosque copiosius solito excernit. Denique totum corpus ad diaphoresin, sive manifestam per sudorem, sive occultam per insensibilem transpirationem, pronius plerumque redditur. Notandum interim est, non leviora quæque vomitoria, neque etiam ipsa fortiora, si imminuta dosi exhibeantur, statim hæc omnia plene perficere; attamen sua operatione plus minusve pro viribus & quantitate medicamenti eo collimare, & fortiora quidem, plena dosi data, tres metas propositas efficaciter attingere.

Circumspectio adhibenda in eorum usu.

Ex prædictis facile cuivis innotescit fortiora Emetica, pleniori quantitate præscripta, puellis hoc morbo correptis competere non posse, neque teneras eorum vires tantos in corpore tumultus, & tam universalem evacuationem subitoque factam perferre posse. Quapropter circumspecte admodum hoc remedii genus puellis præscribendum est, tum etiam atque etiam vires & medicamenti efficacia ac quantitas contra sunt pensitandæ. In hunc ergo finem aliquot cautiones juniorum gratia hic subnectere non erit inutile.

1. Vomitus in hoc affectu concitandus non est, nisi humores sponte sua nonnihil sursum vergant, iique per superiora non difficulter exigi possint.

2. Nisi puelli per se ad vomendum sint proclives, vomitumque facile ferant.

3. In sputo sanguinis, Phthisi seu Tabe, Hæmorrhagia Narium in quavis interna venarum apertione, similibusque

calibus

casibus ab hoc remedio abstinendum.

4. Potentiora Emetica liberaliori dosi exhibita hic interdicuntur. Etenim metus est, ne insitos spiritus nimium depopulentur, ipsasque partes solidas plus æquo prius extenuatas ulterius eliquent.

Oportet ergo, ut vomitoria, hic in usum vocanda, vel natura sua leniora sint, vel saltem fortiora satis correcta & parca dosi administrata. Qualia vomitoria hic conveniant.

Object. *Dicas si leniora sint, aut diminuta quantitate exhibita, vix efficaciter posse humores evacuandos educere.*

Resp. Revera, ubi naturam, aut non omnino, aut parum adminiculantem habemus, ita rem se habere; in quo casu negamus vomitoria omnino esse exhibenda: supposita vero aptitudine tum humorum tum corporis ad hanc evacuationem (ut in prima & secunda cautione requiritur) etiam leniora vomitoria humores in primis viis stabulantes evacuare queunt: quod idem dicendum quoque est de fortioribus probe correctis parcaque manu exhibitis. Etenim ob correctionem & diminutam quantitatem haud multum corpus exagitant, aut naturam lacessunt, atque interim ob ventriculi humorumque proclivitatem huic scopo satisfacere valent. Paradigmata jam aliquot subjungamus.

℞ *Summitat. Erigeri* M ß. *passul. Corinth.* ℥j. Coq. in ℔j. *cerevisiæ non-lupulatæ* ad medietatis absumptionem. *Colatur.* ℥iij. adde *syr. acetos. simpl.* ℥ß. M. & exhib. tepide.

Vel

Vel

℞ *Infusionis croci metallor. in vino Hispan. loco frigido factæ & per subsid. optime depurat.* ℥j. ℥jß. ℥ij. (pro ratione ætatis ac roboris) *Syr. acetos.* simpl. ℥ß. *seri lactis cerevisiati* ℥jß. *aq. cinnam.* gutt. x. vel ejus loco, si convulsiones metuuntur, *aq. antepilept. Lang.* ℈j. M. & ebibat tepide mane cum regimine.

℞ *Succ. fol. Asari* ℥ß. ℈ij. vel ℥j. *Syr. acetosi simpl.* ℥ii. *seri lactis cerevisiati* q. s. M.

℞ *Salis vitrioli præp.* ā gr. v. ad gr. x. Exhibe similiter in *sero lactis cerevisiato.*

Cathartica Lenitiva.

Cautiones circa usum Lenientium observandæ.

Hæc evacuantia cum effectus suos placide sine tumultu exequantur, non illam Medici circumspectionem, quam Emetica aut elective Purgantia postulant. Tria tamen circa illorum usum cavenda sunt. 1. Ne ingrato sapore eam ventriculo nauseam inferamus, ut postmodum omnia medicamenta aversetur et abhorreat. 2. Ne nimia pharmaci quantitate ventriculum gravemus. 3. Ne assumptum pharmacum vomitu statim rejiciatur. In hunc ultimum scopum solent aliqui os puelli grato aliquo liquore statim colluere; alii tantum in os ejusdem ingerunt vel *cerasa condita*, vel *pruna Brigniolensia*, vel *conservam Berberorum*, vel *succum Aurantiorum saccharo admixtum*, aut *similia.*

Lenientium divisio.

Dividi hæc Lenitiva possunt in *Simplicia* & *Composita*; & hęc iterum in ea *quæ in Pharmacopoliis exstare solent*, & ea, *quæ pro re nata de novo parantur.*

Simplicia,

Simplicia, quæ huic scopo per se satisfaciunt, admodum pauca reperiuntur; ut *Manna, Caßia fistularis, Aloe socotrina, Tamarindi, Polypodium quercinũ.* At vero minus efficacia, quæque (nisi purgantibus aliis fortioribus acuantur) lenitivam indolẽ non induunt, plura occurrunt; ut *Uvæ passæ majores, tum Corinthiacæ, Jujubæ, Sebestenæ, Pruna dulcia & damascena, Ficus, Dactyli, Pulpa Pomorum assatorum, Flores Malvæ, Violarum, Herbæ Parietariæ, Mercurialis, Rad. Althææ, Glycyrrh. semina 4. frig. maj. semina Malvæ, Amygdalæ dulces, Ova sorbilia, Pinguedines, Butyrum, Oleum olivar. ol. amygd. dulc. serum Lactis,* & similia. Hęc licet per se parum efficacia sint, aliorum tamen purgantium admixtione non contemnendam vim lenitivam acquirunt.

Composita lenitiva hæc in Officinis prostant. *Caßia extracta cum vel sine Senna, Diacaßia, Elect. Lenitivum, Diaprunum lenitivum, Elect. passulatum, Decoctum commune pro Medicina, Decoctum fl. & fruct. syr. & mel Violarum, syr. rosar. sol. mel Mercuriale, mel Passulatum, Conservæ Rosarum pallidarum, Florum Malvæ, Violarum.* Formulas nonnullas extemporaneas his subjungere possumus; Ut

℞ *Mannæ Calabrinæ opt.* ℥vj. *cremor. tartari* gr. vij. *seri lactis cerevisiati* (**Posset-Ale** *dicti*) *in quo parum sem. anis. ferbuerit* ℥jß. Misce, & exhib. mane. Loco seri *ejusmodi* substitui potest *jusculum aliquod*, vel *Decoct. commun. pro Medicina*, vel *Decoct. fl. & fruct.*

℞

℞ *Elect. Lenitiv.* ʒjß. vel ʒij. *syr. ros solut.* ʒijß. *viol.* ʒj. *cremor. tart.* gr. x. *seri lactis cerevisiati* ℥jß. M. & capiat in aurora. Aliqui parant *syr. lenitivum* in hunc modum.

℞ *Polypod. querc.* ℥ij *tart. alb. præpar.* ʒij. *Poma dulc.* N. xij. *Uvar. passar. exacinat.* ℥j. Coq. in s. q. *aq. font. ad* ℔j. *In Colatura infunde per noct. fol. senn. elect.* ℥jß. *rhab.* ʒij. *pulpæ Cassiæ recenter extract.* ℥ß. *tamarind.* ℥j. *glyc. semin. anis. coriand.* an. ʒjß. *mane per pannum laneum densum exprimantur.* ℞ *Expressionis* ℥viij. *sacch. alb.* ℥vj. *Coq. parum, tum adde mannæ opt. syr. ros. solut.* an. ℥ij. *viol.* ℥j. F *syr. Lenitivus.* Capiat Puellus ℥j. *aq. cichor.* vel *parietar.* ℥ß. & *succi limon.* ʒj *dilutam.*

℞ *Aloes lotæ,* vel *Pil. Aloephang.* gr. vij. F. Pilulæ 2. *cum syr. ros. solut.* Immittantur in 2. *cerasa condita exemptis ossiculis, quæ integra deglutiantur,* ne sapor offendat hora somni vesperi. Mane superbibat *syr. ros. solut.* ℥j *in sero lactis cerevisiato.*

Vel

℞ *Syr. ros. solut.* ʒvj. *violar.* ℥ß. *succi limon.* ʒj. *elect. passulat.* ʒj. *aq. cichor.* vel *parietar.* ℥jß. M. F. Haustus, quem capiat mane jejunus. Atque hæc de Eluentibus primas vias: sequuntur Preparantia.

CAP.

Cap. XXXI.

Præparantia, eorumque Vſus.

Præparantium genera.

Quæ evacuatio magis, quæ minus præparationem exigat.

REmedia hæc partim *humores præparandos*, partim *vias, per quas ii educendi*, partim *ipſas partes in quibus ſtabulantur*, reſpiciunt. Sciendum autem evacuationem illam, quæ *Emeticis* perficitur, minime omnium præparationem præterquirere; illam vero quæ *Cathartici*s aut *Expectorantibus*, maxime.

Quæ præparatio quibus humoribus debeatur.

I. *Humores præparandi* in genere ſunt, vel Pituitoſi, nimirum frigidi, qui calidis attemperandi, craſſi attenuandi, viſcidi incidendi; vel Bilioſi, *viz.* acres, amari, urentes, corroſivi, qui lenientibus & compeſcentibus cicurandi; vel Melancholici, ſcil. terreſtres, fæculenti, tartarei, qui benigniori materię commiſcendi & fluxiles reddendi; vel denique ſeroſi, qui diſponendi & quaſi manu dirigendi ſunt, vel ad vias urinarias, ut per mictum; vel ad alvum, ut per ſeceſſum; vel ad partes cutaneas, ut per ſudationem facilius exigantur.

Viarum præparatio.

II. *Viæ, per quas Evacuatio decernitur*, muniendæ quoque ſunt ac adaptandæ, & non tantum communes, ſed & ipſæ ſpeciales, per quas materia peccans in ſpecie ad communes vias deducatur. Alia enim præparatio eſt vaſorum Renum, (quæ ſcilicet lubricantibus & laxantibus maxime perficitur) alia vaſorum Hepatis, quæ

quę fit aperientibus, abſtergentibus, & nonnihil ſimul adſtringentibus; alia vaſorum Pulmonum, quæ potius lenientibus & maturantibus peragitur, admixtis forte pro ratione materiæ vel incidentibus & attenuantibus, vel contra incraſſantibus & fluxionem avertentibus.

Præparatio reſpectu partium.

III. *Partes ipſæ, in quibus præ cæteris humores vitioſi impinguntur vel fluitant*, medicamenta ſibi appropriata admiſcenda poſtulant; & prout hoc vel illud viſcus plus minusque afficitur, modo cephalica, modo hepatica, modo pulmones reſpicientia, &c. dominium in præparantibus obtinent, & liberalius ſunt admiſcenda.

Conditiones Præparantium in hoc affectu.

Porro (ut ſimul omnes prope qualitates præparantium in hoc affectu requiſitas complectamur) dicimus hæc remedia ex Arte præſcripta ut plurimum eſſe *moderate calida*, (niſi ſcil. febris adfuerit) eſſe *attenuantia, incidentia, & deobſtruentia, ſimulque peculiari jure nonnihil Hepar, Pulmones, & Caput reſpicere*, quę partes plerumque humorum copia in hoc morbo gravari ſolent; Eſſe adhuc *huic affectui in ſpecie nonnihil appropriata*: ſi vero non occurrant talia, quæ ſimul ſub cenſum præparantium cadant, morboque approprientur, ſaltem alia tunc ſpecifica præparantibus admiſcenda.

Per epicraſin humores in hoc affectu exigendi.

Tandem in memoriam revocandum eſt, morbum hunc eſſe Chronicum, materiamque ejusdem eſſe tardi motus, totamque ſimul vix præparari, aut præparatam evacuari poſſe: ideoque non continue inſiſtendum eſſe præparantibus,

tibus, donec tota materia fuerit præparata; ita quippe pars præparata, & jam fluxilis reddita, vel alios affectus, vel etiam gravia forte symptomata, facile conciet. Quare per vices modo præparandum, modo materia jam præparata pharmaco exigenda. Qua sane alterna remediorum administratione, tum viribus propiciemus, tum causæ morbificæ tuto (ut ut sensim) occurēus. *Notandum* quoq; hic, quod & supra monuimus, ubi causæ morbificæ eousq; diminutæ ac edomitæ fuerint, ut ad tēpus non impediant specificam curationē; huic quāprimum propriis alte antibus esse incumbendū, & in eadem persistendum esse, donec causæ denuo processum interturbaverint.

Hisce jam præmissis, *Præparantia Simplicia*, ut & *Composita* illa, quæ in Pharmacopoliis asservari solent, nec non exempla quædam *Decompositorum*, ordine subjungere ulterius visum est: Monemus tamen haud expectandum esse, ut singula simplicia, (aut forte eorum aliquod) omnes qualitates, quas modo exquisitis illis & appropriatis præparantibus attribuimus, complectantur; (ita enim nulla compositione foret opus) sed tot & talia è simplicibus a nobis enumeratis à prudenti Medico seligenda, ac inter se contemperanda sunt, quę simul juncta remedium omnibus illis qualitatibus donatum coneinnent.

Simplicia, & *Composita* in Officinis asservata sunt sequentia. *Herbæ omnes capillares*, imprimis, *Trichomanes*; *Ruta muraria*; *Spicæ ra licis Osmundæ regalis*;

Gemmæ virdum erumpentes Filicis maris; Polypodium murale; Phylliitis, seu Lingua Cervina; Cetterach; Hepatica; Agrimonia; Cuscuta; Scabiosa; Betonica; Veronica mas; folia & cortex Tamarisci; cortex radicum Capparum; rad. Cichor. Endiv. Gramin. Asparag. Myrrhidis; Glycyrr. Tartarum; (quanquam forte ejus lubricitas minus congruit) *Passulæ*, imprimis *Corinthiacæ*; *Pruna Damascena*; *semin. Anis. Fœnic. dulc. Coriandr. Carui*; *Anethi*; *Syr. Capill. Veneris de Beton. simpl. & compos. Byzantin. Cichor. de Eupator. de 5 radic. de Scolopend. de Stœch.*

Ex his ulterius *Decomposita* pro re nata formari possunt; Ut,

℞ *Spicas*, vel *Gemmas Rad. Filicis maris* N v. *Coq.* in ℔ß. *lactis* ad ℥iij. Colaturam bibat mane, jejuno stomacho. *Convenit maxime junioribus & lacti assuetis* Vel

℞ *Gemmarum Filicis maris tenellarum è terra modo erumpentium* M j. *Veron. maris, Ling. Cervin. Hepat.* an. Mß. *fl. Tamarisci* p. j. *Passul. minor.* ℥ij. *Macis* ʒß *Pullum unum exenteratum*, &c. *& cum farina avenacea*, q. s. F. Jusculum, *ut artis est*. Capiat Puellus ℥iij. vel iiij. mane, & hora quarta pomeridiana; addendo, si lubet, *Crem. Tart.* gr. x.

Vel

℞ *Capill. Veneris. Hepat. Agrimon. Cuscutæ*, an. Mß. *Radic. Filic. maris, gramin. Asparag.* an. ℥ß. *fl. Tamarisc.* p. j. *Passul. Corinth.* ℥j. *Tartar. alb. præp.* ʒj. *Glycyrr.* ʒß. *Macis* ℈j. Coq. in ℔ij. *aq. fonti*

font. Colaturæ ℔j *adde vini alb.* vel *Rhenan.* ℥iij. *syr. de Scolopendr.* ℥jß. M F. Apozema; de quo bibat Puellus haustum, mane, & hora quarta pomeridiana. *Valet potißimum, ubi pertinaces obstructiones, in Mesenterio, Hepate, &c. adsunt.*

Vel

℞ *Tußilag. Capill. Vener. Ling. Cervin. Hepat.* an. Mß. *Radic. Myrrhid. Asparag.* an. ℥ß. *Glyc. Hispan.* ʒij. *Macis* ℈j. *Paßul. exacinat.* ℥j. *Jujub.* N. vj. *Sebesten* N viij. *Fic. incis.* N ij. Coq. in s. q. *aq. Hord. Colaturæ claræ* ℔j. adde *syr. Capill. Vener.* ℥jß. M. *Hujus* Apozematis *usus præcipuus est, infarctis simul aut obstructis Pulmonibus.*

℞ *Musti Cerevis.* ℔ij *Hepaticæ, Capill. Vener. Phyllit. Scabios. Tussilag. Matricar. Artemis.* an. M j. *Fic. incis. Passul. exacinat.* an. ℔ß. *Glyc. sem. Anis.* an. ʒij. Coq. lento igne per horas 6. *Colatura servetur in usum. In eodem prope casu conveniens est.*

Vel

℞ *Sarsæ parill. incis.* ℥iij. *Radic. Chin. ras Cornu cervi, Ebor.* an. ℥j. *fol. Veron. maris. Phyllit. Hepat. Scabios.* an. M iij. *spic. rad. Osmund. regal. Filic.* an. ℥ij Coq. in 4 *Congiis musti cerevisiæ non lupulatæ* (**Als** *dictæ*) *lento igne per horas* 4, vel 5. *Dein post aliquot horas coletur liquor per setaceum*; tum adde *succi Cochlear. Becabung.* an ℔ß. *fermenti cerevis.* q. s. *Fermentetur more solito, & in doliolum reponatur, è quo ad usum pro Potu ordinario depromatur. Conducit præcipue, ubi adest suspicio Luis Venereæ, vel Scorbuti complicati.*

Cap. XXXII.

Evacuantia elective.

Evacuantium divisio.

PRæparata materia morbi, apertisque viis, per quas evacuatio instituitur, proximum est, ut consideremus quæ pharmaca humores in specie peccantes elective educant. Hæc autem medicamenta partim *humores*, partim *partes in quibus stabulantur*, respiciunt: in singulis vero justa virium habenda est ratio.

Quæ sint rejicienda.

Violentiora vel plane abdicanda, vel optime correcta & parca dosi circumspecteque adhibenda sunt: & junioribus quidem pueris ac infirmioribus vel mitiora, vel minori dosi, magisque correcta; majoribus & robustioribus fortiora pleniorique dosi (modo non transcendant vires) permittenda. In utroque casu tutius est paulo infra vires subsistere, quam easdem vel tantillum excedere; & omnino in hoc affectu satius est *per epicrasin* procedere, quam simul & semel plenariam humorum peccantium evacuationem tentare.

Humores porro in corpore dominantes sibi appropriata pharmaca desiderant; ut Bilis *cholagoga*, Pituita *Phlegmagoga*, Melancholia *Melanogoga*, serum Humorque aquosus *Hydragoga*.

Adhæc, si Hepar præ aliis partibus humoribus gravetur, talia sunt eligenda purgan-

Purgantia, quæ peculiari jure Hepar respiciunt. Similiter, obsessis multum Pulmonibus, aut Cerebro, aliisve visceribus, ejusmodi sunt eligenda purgantia, (quantum quidem fieri potest) quæ hisce partibus respective sunt appropriata. Sin vero non occurrant simplicia purgantia nonnullis partibus satis speciatim dicata, apta aliorum ingredientium istis partibus familiarium admixtione eorum defectus supplendus est.

Denique (quoad fieri poterit) purgantibus directe morbi essentiæ oppositis insistere conandum est. Hoc nomine *Rhabarbarum* præ aliis simplicibus commendamus. Est enim *medicamentum moderate calidum & siccum, spiritibus insitis omnium partium satis familiare, & amicum, torporem spirituum benigne excutit, mollitiem laxitatemque partium firmat, internam lubricitatem nonnihil corrigit; pulsum ad artus evocat, calorem externarum partium auget, internarum & imprimis earum, quæ nutritioni inserviunt, vigorem & activitatem fovet.* Adde quod *rarissime* (modo justa dosi exhibeatur) *superpurgationem invehat, medicamentum profecto omni ætati & complexioni satis tutum.* Rhabarbari in hoc affectu usus.

Hisce jam præmissis, nonnulla simplicia purgantia, quæ huc spectant, nec non paradigmata quædam compositorum proponenda sunt. Neque etiam quidquam prohibet, quin multa ex lenitivis supra citatis, huc quoque, diverso tamen respectu, referantur: Illic enim respiciuntur, *ut acuunt lenitiva alias ignaviora*; hic vero potius, *ut temperant purgantia fortiora.*

Purgantia *Simplicia*, tum *Compositia* Officinalia.

Manna, Cassia fistularis, Tamarindi, Myrobalanorum genera, *Rhabarbarum, Aloe, Syr. Ros. solut. de Cichor. cum Rhab. dupl. Augustan. Scammonium, Agaricus*; sem. *Carthami, Mechoacana, Jalappa, Turpethum, Mercur. dulcis*; *Syr. Ros. solut. cum Agar. Epithymum. Polypod. quercin. Senna*; *Syr. Majistralis ad Melanchol. de pomis Reg. Sapor. Diabalzemer, Elect. lenit. de Prunis. Solut Elect passulatum, Diacathol. Confectio Hamech. Bened. laxativa*, &c.

Extemporaneorum *Compositorum* exempla quædam.

℞ *Syr. Augustan.* ℥j. *Ros. solut.* ℥ij. *aq. Cichor.* ℥ß. *pro dilutione.* F. *Potio, exhibenda mane jejuno stomacho.*

℞ *Rhab. opt. pulverat.* gr. xviij. *Syr. de Cichor. cum dupl. Rheo* ℥vj *Rosat. solut.* ℥ij. *aq fol. Filicis* ℥vj. M. F. *Haustus. Biliosis, ut & Hepaticis, maxime convenit.*

℞ *Folior. Sennæ, Polypod. querc. Epithym.* an. ℥j. *Rhab. opt.* ℈j. *Chrystall. Tartar. semin. Fœnic. dul.* an. ℈j *F Infusio* in ſ q. *aq fumar.* ſ.a pro ℥jß. *Colaturæ expressæ adde Syr. Magistral. ad Melanchol.* ℥vj *aq. Cinnam. gut.* vij. *vel Antepilept. Lang.* ℈ß. M. F. *Haustus. Melancholicis maxime designatur.*

℞ *Fol. Sennæ* ℥ij. *pulp. Tamarind.* ℥vj. *semin. Anis. Glyc.* an. ℥ß. *Cremor. Tart.* ℈ß. F. *Infusio* in ſ. q. *aq. fontan.* per noct. *Cum expreſs.* ℥iij. F ſec. art. *Emulsio ex Amygd. dulc. decortic.* ℥ß *semin.* 4 *frig. maj.* an. ℈ij. *pro* 2 *doſibus*; *addendo ſingulis Syr de Cichor.*

Cichor. cum quadrupl. Rheo. Mannæ opt. an. ʒiij. *Humores acres, & adustos, evacuat, & contemperat.*

℞ *Elect. lenit.* ʒiij. *Rhab.* ℈j. *Crem. Tart. semin. Anis.* an. ℈ß. *fl. Borrag. Anth.* an. p. ß. *aq. fumar.* q. s. F. *Infusio per aliquot horas. Colaturæ, per pannum laneum densum factæ,* ℥jß *adde Syr. de pomis Regis Saporis* ℥ß. M. F. H.

℞ *Folior. Sennæ* ʒjß, *vel* ʒij. *Agar. trochisc.* ʒß. *sem. Fænic. dulc.* ʒß. *fl. Chamæm.* N. x. *Coq.* in s. q. *aq. font* s. a. *Express.* ʒ x, *vel* ℥j ß, *adde Syr Ros. solut cum Agar.* ʒv. *Mannæ opt.* ʒiij. M. F. *Haustus. Humoribus craßis, & pituitosis, potißimum dicatur.*

℞ *Fl Sambuci* p. j *Rhab.* ℈ij *Jalapp Mechoacan,* an. ℈j *Crem. Tart.* ℈ß. *Nucis Moschat.* gr. xv. F. *Infusio & levis ebullitio in aq. fl. Sambuci, & vini Rhen.* an. q. s *Colaturæ* ℥jß *adde Syr. Ros. solut.* ℥ß, *vel* ʒvj. F. *Potio. Pituitosis, Cachecticis, & Hydropicis convenit.*

℞ *Fol. Sennæ* ʒjß *Rhab.* ℈ij. *Agar. troch.* ℈j *pulpæ Tamarind.* ʒij. *semin. Anis. Crem. Tartari,* an ℈j. *fl Anth.* p. ß. F. *Infusio* in s. q. *aq font. & levis ebullitio. Expreßionis* ℥jß *adde Syr. Ros. solut. cum Agar. Magistral. ad Melanchol.* an. ʒiij M. F *Haustus. Mixtos humores evacuat.*

℞ *Mercurii dulc.* gr xv. conserv. *Viol.* ʒj. *pulv. Tragac.* gr. j. M. F *Bolus cum Syr. Viol. quem capiat mane, superbibendo mox* ℥j *Syr. Ros. solut. in haustulo seri lactis cerevisiati solutam. Commendari potest Pueris, qui vermibus simul cum hoc affectu laborant, uti & Lue Venerea una infectis: item Strumosis.*

℞ *Mercur. dulc.* gr. xij. *Ialapp.* gr. xj.

nucis myrist. gr. ß. *pulpæ passul.* ʒj. M. F. *Bolus cum syr. viol. sumendus in Aurora.* Loco *jalappæ* substitui possunt *scammon. præp. vel resin. jalapp.* gr. iij. *vel* iiij. *Convenit Pueris simul strumosis; ut, & iis, qui Lue venerea suspecti sunt, laborare, iisque qui difficulter purgantur, & ingrata plane respuunt.*

℞ *Mercur. dulc.* ʒj. *resin. jalapp.* ℈ß. *sacch. pur* ß *in aq. beton. vel simili dissolut.* ʒiij. *vel* ℥ß. F. sec. art. *Tabellæ pond.* ℈iiß. *vel* ʒj. *Capiat unam pro dosi.*

℞ *Aloes socotrin. opt.* gr. vij. *rhab. pulv.* gr. xj *syr. ros. solut.* q. s. F. *Pilulæ, quas capiat Puellus in cerasis conditis abditas exemptis oßiculis. Possunt & deaurari Pilulæ commodioris exhibitionis ergò.*

℞ *Rhab. opt.* ʒiß. *uvar. passar. exacinat.* M j. *cerevis. commun.* ℔ j. *Infund. per 12 horas, de colatura hujusmodi bibant Puelli, qui noctu avide potum expetunt.*

Cap. XXXIII.

Alterantia Specifica.

PRæparatis jam atque ex parte evacutis morbi caussis, vel saltem ita edomitis, ut ad tempus ulteriorem curationem non impediant, statim ad hæc *alterantia specifica* procedendum est; quæ quidem jugulum quasi ipsius morbi petunt, & quorum gratia ista cum præparantia tum evacuantia præmissa fuerunt.

De-

Definiri autem possunt hæc specifica, *Remedia, quæ ipsi essentiæ morbi è diametro contraria sunt, adeoque eam directe impugnant.* Eorum definitio.

Sunt autem ea vel Simplicia vel Composita; & simplicia quidem quæ nobis hactenus innotuerunt sunt sequentia. *Radix Osmundæ regalis, seu potius spicæ radicis ejusdem abjecta media parte; Radix Filicis maris*, item *Turiones* vel potius *Gemmæ ejusdem vixdum è terra prorumpentes; Radices Graminis, Cichor. Asparag. Rub. tinct. Eryng. Herbæ capillares, Ceterach, Lingua cervina, Hepatica, Veronica mas, flores & folia Lamii, Borrag. Salviæ, Roris mar. Tamarisci, Abrotonum, Absinth. pontic. Chelidon. maj. Crocus, Radic. curcumæ, Sarsa parill. Sassafr. Chinæ, Tria santala, Lignum Guajaci ejusque cortex; flor. Sulph Chalybs præpar. Crocus Martis, Sal Chalyb. vinum Chalybeatum, Syr. Chalyb. vinum album Gallicum & Rhenanum, Sperma ceti, Moschus, Ambra Grisea, Castoreum, vermes terrestres, Jecora Ranarum & Pullorum Corvi, Millepedes vino albo lotæ & in cibano siccatæ ac pulveratæ*, & similia. & Divisio.

Si quis autem quærat quo modo quave actione medicamenta hęc affectus hujus essentiam specialiter impetant: Oppositio inter morbum & hæc specifica.

Respondemus forte non necesse esse, ut ad Asylum istud ignorantiæ, *occultas qualitates*, statim confugiamus; sed in memoriam revocandas esse partes essentiæ hujus morbi cum primariæ, tum secundariæ supra descriptas: Siquidem facta collatione inter illas partes & hæc

medicamenta, haud obscuram contrarietatem ac repugnantiam erga illa invicem deprehendemus. Morbus enim hic consistit *in intemperie frigida & humida, in spirituũ insitorum inopia ac torpore, in toni partiũ enervatione:* E contra remedia hæc *calefaciunt & siccant, spiritus insitos fovent, torporem eorum excutiunt, tonumque firmant.*

Porro, quandoquidem cum caliditate ac siccitate remedia hæc insignem obtinent friabilitatem ac tenuitatem partium, fit, ut non tantum viscida incidant, crassa attenuent, sed & æquationem quandam omnium succorum in massa sanguinea fluitantium concilient, æqualemque (habita ratione distantiæ à fonte caloris) distributionem tum caloris tum sanguinis procurent. Hinc partes externæ prius extenuatę liberaliori alimento caloreque fruuntur; parenchymata viscerum, mole nimium aucta, à crassioribus & viscidioribus succis alimentariis liberantur, & nonnihil inde imminuuntur: hinc irrationalis illa partium nutritio, seu ἀλογοτροφία, à qua tanta vitiorum organicorũ series dependet, emendatur. Deniq; remedia hęc partes nervosas quoq; ipsãq; spinã dorsi nimis debilẽ roborant, ac sovẽt.

Dicas, omnia simplicia à nobis supra citata non hæc omnia plene perficere. Concedimus. Nam *Santalorum* genera, licet sua siccitate, friabilitate ac tenuitate partium, fortiter hunc affectum impugnent, sua tamen frigiditate videntur potius ad morbi partes accedere. Dicimus ergo huiusmodi simplicia per se solà non esse administranda, sed aliis duntaxat

taxat admixta, quæ qualitatem noxiam satis corrigant. Similiter nonnulla Simplicia impense calida, ut *Crocus*, *Cassoreum*, *flores Sulphuris*, &c. huic morbo multum repugnant: sed in usum non sunt vocanda, nisi prius contemperata. Porro *Sarsa parilla*, *Sassafras*, *Osmunda regalis*, *Filicis* genera, *Herbæ capillares*, *Ceterach*, *Lingua cervina*, & similia, (caliditate ac siccitate simul junctis cum insigni friabilitate ac tenuitate partium) plurimum ad æquationem sanguinis, tum ad multas alias morbi partes subigendas contribuunt. Verum partes nervosas ac fibrosas vix satis roborant firmantque; quare Cephalicorum admixtionem desiderare videntur. Adhæc, *Lignum Vitæ*, suo calore, siccitate, friabilitate resinosa ac Balsamica substantia, tonum partium multum firmat, nonnullisque aliis morbi partibus contrariatur: cum tamen parum conferat ad æquationem succorum in massa sanguinea contentorum, quin potius eam forte impediat; non sine summa cautione, correctumque, & exigua quantitate est præscribendum. Denique ex simplicibus hic recitatis nonnulla, magis ad vires omnes corroborandas, quam ad morbi essentiam debellandam, recipiuntur; ut *Salvia*, *Moschus*, *Ambra grysea*, & similia: quæ non nisi aliis efficacioribus magisque appropriatis admixtum in usum veniunt.

Quæ ex specificis sint nobiliora.

Quod si quis ulterius quæsiverit quænam Simplicia è propositis efficaciora ac robiliora sint æstimanda: huic regulis sequentibus respondemus.

1. Illa

1. Illa sunt nobiliora medicamenta, *quæ simul pluribus essentiæ morbi partibus opponuntur.*

2. Illa, cæteris paribus, nobiliora habenda, *quæ primarias essentiæ morbi partes directe impetunt, præsertim si simul faciant ad æqualem distributionem sanguinis & caloris, qua tot vitia organica corriguntur.*

3. *Quæ cæteris morbi essentiæ partibus eminentiori gradu, ita tamen ut vires ea ferant, contrariantur.*

4. *Quæ una & morbo adversantur & naturæ similia ac familiaria sunt, eique quam minimam vim inferunt.*

5. *Quæ magis grata puello laboranti sunt, minoreque cum molestia atque aversatione admittuntur.*

His jam præmissis Paradigmata quædam medicamentorum compositorum subjicienda sunt.

Apozemata & Cerevisiæ Medicatæ.

℞. *Rad. Osmundæ regal. spicas* N. vj. *Herb. veronic. maris. ling. cerv. ceterach, Capill. Vener. Hepatic.* an. Mj. *salviæ, anthus.* an. Mß. *pasul. minor.* ℥iij. *glyc. Hispan.* ℥ß. *macis* ʒij. *coq. in* ℔vj. *aq. fontan. s. a.* ℞. *Colaturæ* ℔iij. *Adde syr. capill. vener.* ℥iij. M. F. *Apozema. Capiat puellus hausulum hujus quotidie mane, hora quarta pomeridiana, tum etiam noctu, si potum tunc petierit. Immo si voluerit, utatur eo pro potu ordinario. Tussi & obstructione Pulmonum simul cum hoc affectu gr. viter afflictis maxime convenit.*

℞ *Fol. Osmundæ regal. ling. cervin. Hepat.*

Hepat. Ceterach, ß. tamariſc. radic. filic. maris. an. Mj. *paſſul. minor.* ℥ij. *ſantal. alb. & rubr. ligni ſaſſafras.* an. ʒij. *ſemin. Coriandr.* ʒj. *Macis* ℈j. *ſol. Salviæ* Mß. Coq. in ſ. q. *aq. font.* ſec. art. *ad* ℔iij. *Colatura edulcoretur Sacch. vel melle, pro Potu ordinario. Hepaticis hoc affectu laborantibus ſuccurrit.*

℞. *Sarſæ parill. inciſ. & optime contuſ.* ℥iij. *radic. Chinæ in taleol. conciſ.* ℥j. Infund. & coq. ſ. art. in ℔vij. *aq. font.* ad ℔iiij ß. tum adde *radic. Saſſafras* ʒij. *Oſmund. regal. Ling. Cervin. Ceterach, Capilli Vener. Lamii,* an. Mß. *Glyc. Hiſpan.* ʒij. *Macis* ʒj. Coq. ad ℔iij. *Colaturæ adde Mell. vel Sacch.* ℥iij. M. *pro Potu ordinario. Conducit præcipue iis, qui Lue venerea laborare ſuſpecti ſunt; ut & ſirumoſis.*

℞. *Flor. Tamariſci recent.* Mj. *Veronic. maris* Mß. *Leviter contund. & infund frigide per 6 horas in* ℔ij. *Cereviſiæ commun. in lagena lapidea vel vitrea, Jubere optime clauſa; pro Potu ordinario.*

℞. *Radic. Sarſæ parill.* ℥viij. *radic. Chinæ* ℥ij. *ligni Saßafras* ℥ß. *Eboris* ʒj. *Oſmund. regal. Veron. maris, Linguæ Cervin. Ceterach, Capill. Vener. Hepat. ſummitat. Lamii,* an. Mij. *Conciſa & contuſa ſec. art. coq. in Cong.* iiij. *cereviſiæ recentis, ad unius abſumptionem; ſublatis ab igne adde Cong.* j. *ejusmodi Cereviſiæ; agitentur ſimul baculo, & deinde colentur. Ingredientia eadem ſacculo ex tela rara includantur cum fruſto ferri in ejus fundo repoſito, & ſuſpendantur in cereviſia; tum, addito fermento, F. fermentatio Cereviſiæ ad perfectam*

fectam usque depurationem. Liquor limpidus post aliquot dies depromatur pro Potu ordinario. Deinde, ubi ad mediocritatis exhaustionem deventum fuerit, excipiatur reliquum Lagenis lapideis, vel vitreis; quæ, subere optime clausæ, reponantur in loco frigido ad usum.

℞ *Vini Chalyb.* ʒß. *Syr. de Cichor. cum Rhab.* ʒij. *Bibat æger quotidie mane, per* v, *vel* vij *dies, aut plures; nisi fluor alvi, aut ventriculi debilitas prohibuerint.* In quo casu, *loco syr. de Cichor. cum Rhab. addatur syr. de Rosis siccis.*

Jusculæ, & Panatellæ.

℞ *Scolopendr. Ceterach, Hepat. Capill. Vener. Salviæ,* an. Mß. *cort. Tamarisci, Santal. rubr.* an. ʒij. *Indantur ventri Pulli majusculi, aut Gallinæ, vel Galli veteris, &, consuto ventre, coq cum* ℥ij *Passul. minor. in* ſ. q. *aq. font. additaque suff. quant. farinæ avenaceæ purioris.* F. *Jusculum perfecte coctum.*

℞ *Radic. Chinæ in taleol. concis* ℥ij. *Sarsæ parill. alb. & medullosæ, incis. & optime contus.* ℥iij. *Infunde per noct. in* ℔ x *aq. font. Mane, post levem ebullitionem, inde colaturæ Ling. Cervin. Veron. maris,* an. M j. *Macis* ʒß. *Passul. Corinth.* ʒj: *& cum carne vervecina, vitulina, vel capon. addita farina avenacea,* F. ſ. a. *Jusculum.*

Quod si tenuiora júscula desiderentur, loco *farinæ, crustæ panis* incoqui; sin vero crassiora, *mica panis cum vitellis ovorum* admisceri poterit. Porro ob debilem Pu-

elli

elli coctionem nonnunquam cochlearia aliquot vini addantur.

Panatellæ ex ejusmodi jusculis colatis, iterumque cum mica panis coctis, additis tandem, ubi ab igne sublatę fuerint, *butyro & saccharo q. s.* conficiantur. Eædem quoque è decoctis modo præscriptis, nisi forte quid amarum aut aliter ingratum contineant, concinnentur. Præterea *Panatellæ*, *Pulticulæque* communes, uti & *Jusculæ* ordinariæ, pulveribus modo scribendis alterari, adeoque huic morbo curando appropriari queunt. Sin vero ex lacte *Pulticulæ* parentur, & farina tritici incrassentur, præter istos pulveres tantillum Croci inter coquendum addi convenit. Quod si quid in Pulveribus minus gratum, aut quod nauseam moveat, deprehendatur, id omittatur, aliudque, (si res ita exigat) quod gratius est, in ejus locum substituendum.

Pulveres & Electuaria.

℞ *Rad. ic Filicis maris* (vel, potius, *Gemmarum ejusdem vixdum è terra prorumpentium, & in umbra siccatarum*) *spicar. Osmund. regal.* an. ℥ij. *Macis, semin. Anis.* an. ℈ß. *Croci* gr. ß. F. *Pulvis. Dosis* à ℈ß. *ad* ℈j. *in lacte, sero lactis cerevisiato, Apozemate aliquo, Jusculo, Panatellis*, &c.

℞ *Medullosæ part. radic. Sarsæp.* ℥ij. *radic. Chinæ* ℥j. *radic. Sassafras* ℈i. *semin. Carui & Coriandr.* an. ℈ß. *radic. Filic. mar. Osmund. reg.* an. ℈ij. M. F. *Pulvis*; *qui usurpandus, ut prior.*

℞ *Millip. ped. aqua primùm, deinde vino alb.*

alb. lot. in clibano post extract. panem siccat. q. v. F. Pulvis. Dosis similiter ℈ß. *ad* ℈j. *in juscul., &c. ut supra.* Eodem modo præparata jecinora Ranarum, & Pullorum corvi pulveris, præscribuntur.

℞. *Flor. sulph.* ℥ij. *Spec. diarrhod. Abbat. diatr. santal.* an. ℈ß. *croci* gr. ß. *Sacch. Chrystallini* ℥iij. *Pulverata subtilissime cum aq. Ros. rubr.* q. s. F. *Pasta lento calore siccanda, quæ denuo, ubi usus fert, in pulverem redacta exhibeatur ad* ℥j.

℞. *Conserv. Rosar. rubr.* ℥iß. *fl. Borrag. Lamii, Salviæ, Anthus*, an. ℥ß. *Chalyb. præp.* ℥j. *Cinnam. Glyc. Hispan.* an. ℥ß. *Croci* ℈ß. *Santal. rubr.* ℈j. *Pulverat. pulverand.* F. s. art. *Elect. cum syr. de Cich. cum Rhab.* q. s. *Capiat ager* ℥ß. ℈ij. *vel* ℥j. *quotidie mane, vel per se, vel in cochl. seri lactis cerevisiati, vel decocti, alicujus appropriati, vel etiam vini.*

℞. *Conserv. fl. Lamii* ℥j. *fl. Borrag. Salviæ, Caryoph. rubr. Anthus, cortic. Myrobalan. in Ind. condit. cortic. Citr.* an. ℥ß. *Santal. rubr. Cinnam. Glyc. Hispan.* an. ℥ß. *Salis Chalyb. vel ejus loco. Croci* ℈ß. *syr. de Absinth.* q. s. F. *Elect. Dosis & modus utendi, ut prioris.*

CAP.

Cap. XXXIV.

Corrigentia ſymptomata.

SYmptomata nonnulla, huic affectui ſupervenientia, aliquando legitimam curandi rationem anticipant, peculiaremque tractandi rationem expoſcunt. Hujus generis ſunt *Fluor alvi*, ut *Diarrhœa*, cui frequenter aliquid *Lienteriæ* eſt admixtum; *ſudores profuſi*; *Dentitio laborioſa*, *dolorque Dentium*.

Fluxus alvi hunc affectum frequenter ſequitur; qui cum ubi diutius perſeverat, aut paullo violentior eſt, facile vires dejiciat, ipſasque ſolidas partes eliquet & abſumat, manifeſte naturam cauſsæ induit, & ut cauſsa ſuam indicat correctionem. *Dyſenteria* rarius huic morbo accidit, *Diarrhœa* vero cum *inteſtinorum torminibus*, vel cum *Lienteria* complicata ſatis frequens. Etenim *ob partium coctioni inſervientium debilitatem*, cum Diarrhœa, tum Lienteria facile, non item Dyſenteria, ſupervenire poſſunt. Concurrunt tamen frequenter & aliæ cauſsæ; ut *ingeſti cibi* vel *quantitate nimii*, vel *qualitate vitioſi*, *febris aliqua*, *vigiliæ*, *dentitio laborioſa*, *lumbrici*, &c. Quæ omnia quoque Diarrhœam vel Lienteriam, potius quam Dyſenteriam, facile pariunt. Ad curam quod attinet, perficitur ea partim *purgantibus*, partim *ſedantibus & adſtringentibus*, partim *aperientibus ſimulque partes roborantibus*. Pur-

Fluxus Alvi.

Purgantia hic conveniunt ea, quæ evidentem adstrictionem post evacuationem relinquunt; ut, *Rhabarbarum, Senna, Tamarindi, Myrobalani*, &c. Ex quibus, pro re nata, ut plurimum, vel *Bolos*, vel *Potiones* concinnamus; quod sub illis formulis facilius deglutiantur: Ut;

Ejus curatio.

℞ *Conserv. Rosar rubr.* ℥ß. *Rhab. opt. pulv.* gr. xij. *Syr. de Corall.* q. s. F. *Bolus, deglutiendus mane.* Vel

℞ *Pulp. Tamarind.* ℥j. *Rhab. pulv* gr. vij. *Sacch. Ros.* ℥ß. *Syr. Cydon.* q. s. ut F. *Bolus.* Loco hujus *Syrupi* substitui possunt *Syr. Myrtil. Granat. de Corall. Menthæ.* Vel

℞ *Fol. Sennæ elect.* ℥ß. *Rhab.* ℈j. *pulpæ Tamarind.* ℥jß. *Semin. Anis. contus.* gr. x. F. *Infusio* in s. q. *aq. fontan. levisque ebullitio.* ℞ *Colaturæ* ℥jß. *Syr. de Rosis siccis* ℥ß. *Misce,* F. *Haustus.* Vel

℞ *Aq. Plantag.* vel *aq. Cichor.* vel *Saxifrag.* ℥j *Rhab. pulv.* gr. x. *Syr. de Rhab. Augustan. Syr. de Rosis sicc.* an ℥ij. M. F. *Potio.*

Notandum, aliquando paulo pleniorem evacuationem requiri posse; nimirum, ubi fluxus ipse parcius processerit, vel non diu perseveraverit, & interim materia peccans copiosa in corpore collecta fuerit. In quo casu, loco *syrupi de Rosis siccis*, drachmæ aliquot *Syrupi Rosarum solut. Syr. August.* vel *de Cichor.* cum *Rhab.* vel *Manna*, substituantur: tutius vero plerumque est dosin *Rhabarbari*, aut etiam *Sennæ* augere; non omisso *syrupo de Rosis siccis.*

Vesperi, post purgationem, grana x. *Diascordii in vino cum Caryophyllis, & tantillo Cinnamomi cocto, & tertia parte aq.*

Papav.

Papav. Rhœad. diluto, ſyrupoque aliquo cordiali, (ut Caryophyllorum) edulcorato, virium inſtaurandarum, fluxúsque ſedandi gratia, concedantur: vel, ſi fluxus pertinacior ſit, ℥ij *Diacodii* pro vice, loco ſyrupi prædicti, admiſceantur.

Vel,

℞ *Poſſeti, è lacte & vino albo parati, detracto coagulo, quod aromatizetur tantillo Croci in nodulo l'gati, in id immerſi, leviterque expreſſi, donec pallidæ flavedinis tincturam acquiſiverit,* ℥ij℈. *confect. Alcherm.* ℈j. *cortic. Granator pulv.* gr. vij. *Diacodii* ℥ij. M. F. *Potio, hora ſomni propinanda.*

Vel

℞ *Laudani diſpenſatorii Londinenſ.* gr. ß. *Magiſter. Corall.* gr. xij. *conſerv. Caryoph. vel Roſar. rubr.* ℈j. *Syr. Cydon.* q. ſ. ut F. *Bolus, deglutiendus veſperi, hora ſomni.*

Quod ſi obſtructiones adfuerint, *Crocus Martis,* vel *Sal Chalybis,* mane præſcribantur: Ut;

℞ *Conſerv. Roſ.* ℥j. *radic Cichor. condit. cortic. Myrobalan. in India condit.* an. ℥ß. *Salis Chalybis* ℈ß. vel *Croci Martis* ℈j. *Cinnam. Glycyrrh. Coral. rubr.* an. gr. xviij. *Croci* gr. j ß. *Syr. de Cichor. ſine Rhab.* q. ſ. F. ſec. art. *Electr. de quo capiat quotidie mane* ℥ß. In hunc etiam uſum *ferrum candens* extingui poteſt in potu ordinario.

In Fluxu pertinaci aliquid *conſervæ,* vel *ſyrupi, Prunellorum ſylveſtrium* eduliis admiſceri poteſt; ita tamen, ne ea reddantur ingrata.

Sudor profuſus, modumque excedens, peculiare aliquando Medico negotiũ in hoc affectu faceſſit: quippe qui vires multum

Sudor immodicus.

tum dissipat, morbique curationem remoratur.

Cautio in ejus restrictione.

Cavendum tamen est, si forte febris adfuerit, aut Paroxysmus aliquis febrilis, calorve immodicus præcesserit, ne temere coerceatur. In his enim casibus criticus esse possit, vel saltem plus utilitatis corpori ex mitigatione febris calorisve quam damni ex virium jactura adferat. Nescimus enim an quidquam potentius, aut etiam suavius febrilem calorem solvat, quam ipse sudor.

Interim, quando inordinate fluit, & præter causam, (quam scilicet amovere queat) arguit corpus obstructionibus, crudis inutilibusque succis & superfluitatibus gravari, quos dum regere ac domare satagit natura, ex ipso labore (concurrente una laxitate partium cutanearum) in sudorem profunditur, & quidem inutilem ac laborioſum viresque depopulantem, qui idcirco quamprimum corrigendus est. Huc respexisse videtur Hippocrates, ubi dictat, *Sudorem illum, qui præter causam fluit, purgationem postulare.* Quid enim commodius has superfluitates minuat & eliminet? Deinde motus hic sudori contrarius est. Unde inter remedia huic symptomati oppositа primum locum meretur, & cum viam sternat aperientibus cutemque firmantibus & coctionem promoventibus (quæ ultimam partem curæ absolvunt) iis jure præmittendum est.

Purgantia huc spectantia sunt, illa quæ naturæ amica & familiaria observantur, quæque simul obstructa aperiunt.

unt, viſceraque roborant ac firmant: quæ omnia an ex ſimplicibus quidquam efficacius quam ipſum *Rhabarbarum* præſtet, dubitamus. Omnia tamen, cum ſimplicia, tum compoſita ſupra cap. *De elective evacuantibus* propoſita, pro varia ægrotantis conditione, huc à prudenti medico transferantur. Aliqui *Cereviſiam Rhabarbaro medicatam* hic multum commendant; Ut,

℞. *Rhabarb. in tdeol. inciſi* ℥ij. *uvar. paſſar. exacinatar.* & *intiſ* ℥j. *cereviſiæ tenuioris* ℔ij. *Indantur lagenæ lapideæ vel vitreæ ſubere optime clauſæ quæ in loco frigido reponatur, ſæpius agitata: ante uſum vero iterum ſubſidant per diem unum, deinde depromatur liquor pro potu ordinario.* Exhauſto liquore Lagena denuo repleatur cereviſia, ſed abſque novo Rhabarbaro.

Porro nobiliora aperientia, quæ ſimul coctionem promovent, inutilem ſudorem reprimunt; ut *vinum Gallicum* & *Rhenanum*. Quod ſi horum calor in tam tenera ætate metuatur, temperari poſſunt *pomis aſſatis, aq. Roſ. rub. Borrag. addito ſaccharo & tantillo nucis moſchat. raſæ*; propinentur etiam in minori quantitate, & tantum tempore paſtûs.

Sunt & aperientia efficaciſſima, quæ non tantum coctionem juvant, ſed & ſimul omnium partium tonum, præcipue viſcerum, firmant ac roborant. Inter quæ, præ cæteris *Chalybeata* commendamus; ut *vinum Chalybeatum, Elect. Chalybeatum ſupra deſcriptum*, & ſimilia. Verum licet Chalybs reipſa ea efficaciter præſtet,

præstet, quæ diximus; cum tamen is nonnullis aliis scopis magni in hoc affectu momenti non usquequaque respondeat, quin potius nonnunquam ex una parte plus noceat, quam ex altera prosit, *Cautiones* sequentes circa ejus usum hic proponere visum est.

Cautiones circa Chalybis usum in hoc affectu.

1. Quandoquidem Chalybs *Pulmonibus* inimicus est, facileque sævum pituitosę materiæ fluxum in tenellis corporibus concitat; ubi Catarrhus, Tussis, Infarctus Pulmonum, multoque magis Inflammatio quævis, Pleuritis, Sputum sanguinis, aut dispositio ad quemvis horum affectuum adest, ab ejus usu plane abstinendum est.

2. Cum Chalybs parum aut nihil ad æquationem sanguinis contribuat, quin potius contra (ut ut attenuet caseosam & pituitosam sanguinis partem) ad ejus tamen separationem à reliqua massa sanguinis ob vitriolatam aciditatem simul faciat, omnino circumspecte admittendus est; præsertim vigente illa massæ sanguineæ inæqualitate.

3. Cum vis attenuandi, incidendi & aperiendi in Chalybe cum insigni siccitate & adstrictione conjuncta sit, illosque idcirco humores, quos forte non dissolvat & discutiat, magis adhuc impingat; in alogotrophia ossium notabili ejus usus est suspectus. Etenim metus est ne curtas ossium partes minusque debito nutritas nimium constringat & consolidet; unde postea minus prompte secundum longitudinem accrescant: partes autem protuberantes (ut & convexa ossium latera)

tera) liberalius nutritas cum dissolvere non valeat, amplius confirmet & contumaciores reddat; eas nimirum pluscu-lum condensando & indurando.

4. In omnibus acutis febribus Chalybis usus noxius est; quod nimium partes deficcet & constringat: immo eo ipso, quod sudores reprimat, humoresque acriores ac ferociores præstet.

Hisce Cautionibus rite observatis, *Chalybis usum* in hoc affectu admittimus: verum cum Medicastræ, Empiriciq; nequeant usum ejus ab abusu distinguere, non suaderemus tam nobilis medicamenti usum sine consilio exercitati prudentisque Medici: quoniam nisi circumspecte præscribatur, tanto cum periculo adhibetur. Alia minoris notæ aperientia huic scopo etiam inservire possunt; Ut, *radic. Cichor. Bornag.* vel *Conserv. flor. eorundem*; *radic. gram. Asparagi, Filic. Rubiæ tinctor. fol. Ceterach. Asplen. Capill. Vener.* &c. Inter composita, *species, Diatr. Santal. Diarrhod. Abbat.* &c. Vel

℞ *Sacch. opt.* ℥iij. *Solvantur in aq. Ros. & coq. paullum ultra Syrupi consistentiam: Deinde adde Conserv. Berberorum* ℥j. *Species. Diatr. Santal. Diarrhod. Abbat.* an. ℥j. *Croci pulv.* gr. j. M. F. *Elect.*

Dentitionis laboriosæ, & dentium doloris curatio.

Dentitio laboriosa, dolorq; dentiū, familiaria Rachitidis symptomata, cū febres, inquietudinem, vigilias, aliaq; mala producant, peculiarem quoq; merentur mitigationē. Itaq; si dens gingivā pertusurus insignē molestiā puello creet, statim ab initio *universalis* aliqua *evacuatio*, nisi ea paullo ante facta fuerit, instituēda est; Ut,

vomi-

vomitus, qui dolori dentium potenter subvenire creditur. Proritari autem is potest, vel *sola gutturis titillatione*; *immissa penna* vel *digito nutricis in fauces puelli*, vel etiam *frictione dentis erupturi cum folio Tabaci circa nutricis digitum obvoluto*, *& cerevisia parum madefacto*; vel denique propinato haustu aliquo *Emetico supra descripto*. Non est autem remedium hoc frequenter iterandum, ne ventriculum nimium debilitet. Sequenti die (dolore persistente vel recurrente) *potio aliqua chatarctica*, *bolusve* ex supra præscriptis aut similibus exhibenda. Facta hoc modo universali evacuatione, ad *Topica* deveniendum. Solent nutrices dentem erupturum frusto *Corallii* in hunc usum polito perfricare. Medici potius commendant *radices Althæa*, quę emolliunt & laxant gingivas, quo facilius pertundi possint. Aliqui pro secreto habent frictionem dentis dolentis cum *radice lapathi acuti*. Alii plurimum commendant frictionem gingivę, è qua erupturus est dens, cum *crista galli recenter abscissa*, aut *sanguine calido ex isto vulnere exstillante*. Quæ in aures instillari solent, in hac ætate non experti sumus; similiter neque emplastra *Mastichis*, *Olibani*, vel *de minio*, quæ in adultis fluxionem sistere observantur. Aliqui parva *Empl. Epispastica* pone aures applicant, quæ forte materiam dentibus dolorem inserentem revellunt. Sed neque de his judicium nostrum interponimus. Tandem non proficientibus universalibus, solemus ad *hypnotica* confugere; quę quidem extra applica-

applicata parum efficiunt; intro vero assumpta, ubi rite præparata & correcta fuerint, plurimum juvant. Urgente ergo inquietudine, & vigiliis, hæc, vel similia, præscribimus.

℞ *Diascordii* gr. vij. *Syrupi de Meconio* ʒjſs, vel ʒij. *Posseti ex lacte & vino albo parati, paucoque Croco tincti* ʒj. vel ʒx. *Misce, & capiat hora somni, nocte ista, quæ purgationem proxime subsequitur.*

℞ *Laudani dispensatorii Londinensis* gr. ſs. *pulv. Cord. è Chelis Cancror.* gr. x. *conserv. Caryophill.* ℈j. *Syr. Meliss.* q. ſ. F. *Bolus, deglutiendus vesperi, hora somni.* Atque hæc de corrigentibus symptomata.

Cap. XXXV.

Remedia externa.

Absoluta tandem disquisitione de materia & speciebus *internorum* medicamentorum, ad *externa remedia* sermo noster dirigendus est. Quæ quidem ad ultimum locum reservavimus: non quod ea perpetuo ultimo sint exequenda, sed quod, diversi plane generis sint ab internis: administranda vero immediate post evacuantia universalia, aut saltem post electivè purgantia, simulque cum alterantibus specificis, ad quorum genus pertinent, licet quatenus externa sunt, ab iis, ut dictum est, differant. Monendum hic autem Externi remedii nomen paulo latius hic à nobis accipi, adeo ut *omne medicamenti genus, quod proprie neque ad Chirurgica, neque ad intus assumpta referatur (modo in hujus affectus curatione usum habeat) sub se complectatur.*

Dividimus ergo id in duo genera, *viz. Exercitii modos, & Extrinsecus applicanda.*

Exercitii modi, seu genera.

Exercitii modi, seu genera.

Exercitii modi, seu genera omnia pueris consueta, suo loco & tempore in usum venire possint. Quandoquidem autem

autem Pulli Rachitide laborantes motum nonnihil aversantur, atque ob virium languorem & exercendi desuetudinem, statim a curationis principio, vix, aut ne vix quidem violentiores motus perferunt; a mitioribus exercitiis perpetuo ordiendum, & dein paulatim gradatimque ad fortiora progrediendum: similiterbreviori tempore ab initio, postea autem longiori absque intermissione sunt continuanda.

Distinguimus ergo Exercitia in *lenia*, & *fortiora*, seu *masculà*. Leniora referimus, 1, ad *morem Decubitûs*: 2, ad *Agitationem in Cunis*: 3, ad *Gestationem, vel Tractationem in ulnis, vel manibus Nutricum*: 4, ad *Lusus sedentarios*. Eorum Divisio.

1. *Decubitus supinus* inter omnes corporis positiones maxime ab exercitio recedit, & in extrema virium debilitate sere solus convenit; ut in febribus acutis, exhaustis jam viribus. Solus etiam in multis Thoracis & Hypochondriorum casibus convenit; ut frequenter in Inflammatione Hepatis, Lienis, Pulmonum in Pleuritide, in Adnascentia Pulmonum cum Pleura, in Empyematę &c. Varii decubitûs modi.

Decubitus lateralis, versus supinum, sive dexter, sive sinister, quamproxime ad hunc decubitum accedit, & tantillum de natura exercitii participat. Quare convenit etiam in magna virium debilitate, saltem positionis corporis mutandæ causa, ut & quando profundior somnus non expectatur. Porro & proficuus est satis

robustis, tempore primi vel secundi somni, mutatis post justa intervalla lateribus. Sed non æque forsitan iis postea convenit, præsertim corpore somno satis refecto. Tunc enim decubitus, qui propius accedit ad exercitii naturam, potior est.

Decubitus simpliciter lateralis pluscul-um exercitii continet, & debilibus ac insuetis tempore profundioris somni vix quadrat; alias autem familiaris iis reddi poterit, si paulatim ei assueverint. Robustis omni tempore, modo justa ratio debitæ variationis habeatur, competit.

Decubitus lateralis versus pronum laborioſus admodum est ac molestus, vixque ipsis robustis insuetis diu continuandus. Attamen paulatim per consuetudinem superata molestia, facilius toleratur; & cum dolores capitis sedet, concoctionem ventriculi promoveat, Colicos dolores mitiget, alvumque adstrictam lubricet, peracto somno naturæ debito, in usum nonnunquam vocari, & in hoc affectu exercitii vicem supplere potest. Accidit enim interdum in hoc morbo, ut Pueri ad tempus aliquod vix citra damnum pedibus committantur, immo ut plus emolumenti ex ipso decubitu, quam ex deambulatione percipiant. Etenim inflexos articulos deambulatio confirmat potius, quam curat; decubitus autem, ubi partes debito modo fasciis munitæ sunt, non parum ad eorum erectionem conducit. Deinde

Decubitus præ cæteris exercitiis in certis casibus prærogativa.

ad

ad curtas partes proceriores reddendas, multum ipsa decubitûs positio confert, quemadmodum cernere licet ex partium secundum longitudinem per morbos accretione. Tertio, Decubitus, ratione communium totius corporis involuerorum, facit ad caloris in omnibus partibus æquationem. Ultimo, Decubitus, si justa ratio sternendi lectum observetur, multum contribuere potest ad spinæ truncique corporis incurvationem erigendam. Etenim ubi in latus gibbosum decumbunt, parvus pulvillus, in hunc usum apte formatus, sub exstantibus partibus immitti potest, atque ita adaptari, ut partes gibbæ magna ex parte totius corporis onus sustineant, adeoque ad rectitudinem repellantur. Quando autem Puelli in alterum latus devolvuntur, ita lectum sterni oportet, ut detracto pulvinari pars cava lectum vix tangat, nisi se ad rectam lineam conformet, quo pondere suo ad rectitudinem deprimatur. Atque hæc de Decubitu.

II. Decubitum proxime æmulatur *exercendi illud genus, quod Cunarum agitatione perficitur.* Cunæ binis arcubus, seu portionibus rotæ, seu circuli, sustentantur: quo autem majoris circuli portiones sunt hi arcus, eo efficacius exercitium Puello præstant. Motus hic profundioris somni tempore intermittendus, aut saltem remittendus est; tempore vero vigiliarum, per vices modo intendendus, modo remittendus est. Convenit maxime debilioribus, vix dum Cunarum agitatio.

pedibus insistentibus, aut aliter ab indefsu impeditis.

Gestatio in Ulnis, &c.

III. *Gestatio in Nutricum ubiculantium ulnis*, iisdem prope Puellis, & sub iisdem conditionibus competit. Similiter *Gesticulatio Puelli ad rhythmum cantûs, sive dum Nutricis genibus insidet, sive dum ejus manibus sustentatur, ut & ejusdem horsum illorsum jactatio, frequensque elevatio & demissio, leniter apprehensis manibus, si puellus fortior sit, aut axillis, si debilior, ita quidem, ut crura & truncus inter movendum dependeant.* Praeterea *tractio & retractio Puelli super lectum vel mensam inter binas matrices; altera manus, altera pedes apprehendente.* Duo ultimi motus aliquid videntur contribuere ad spinæ curvæ seu inflexæ erectionem, præsertim si manus, quæ humero depresso, & pes, qui coxendici elevato inarticulatur, paulo fortius quam altera manus vel pes trahantur. In eundem prope scopum collimare videtur *elevatio puelli, apprehensis solis pedibus, ita ut truncus & caput puelli inverso situ aliquandiu dependeant*; licet hæc actio videatur quoque nonnihil respicere Hepatis adnascentiam, siqua adfuerit: ut & *convolutio illa corporis, qua demisso capite attolluntur pedes, iterumque elevato capite corpus totum invertitur.* Huc quoque referatur *rotatio illa Puelli, à nonnullis usurpata, super lectum vel mensam corpore lateraliter reclinato*: quam magis probamus, si non integre circumvolvatur: sed tantum volvatur ac revolvatur

volvatur corpus: suppolito duriusculo pulvinari, cui pars gibba incumbat, onusque corporis sustineat. Hoc exercitium recte administratum multum ad corporis deflexi erectionem confert.

V. *Lusus Sedentarii* minimum inter omnia exercitia emolumentum pueris Rachitide detentis adferunt, sisque placandi caussa potissimum permittuntur. Utiliores vero erunt, quo magis eos ad movendos pedes provocant, ut, verbi gratia, si à nutrice, erecto vel projecto coram pedibus corpusculo aliquo, irritentur ad id calcitrando evertendum, vel abigendum. Quod si Puelli corpus incurvum sit, ii lusus adinveniendi sunt, quibus Puellus ad corpus in partem contrariam movendum alliciatur. Ubi ergo alter humerus altero est depressior, alliciantur ab isto latere, ostensis superne pupis vel crepundiis, manum humerumque simul elevare & extendere, quo oblatum objectum arripiant. Innumera prope ejusmodi particularia exercitia fingi possunt, quæ Nutricum industriæ relinquimus. Lusus sedentarii.

Masculæ exercitia majoris notæ ad tres titulos reducimus. Exercitia mascula.

1. Ad *Incessum*; 2, ad *Artificialem corporis suspensionem*; 3, ad *Frictionem, & Hypochondriorum atque Abdominis contrectationem.*

I. *Incessus, Gressus*, sive *Obambulatio* inter nobiliora exercitia numerari potest. Etenim Puelli ætate grandiores, Gressus.

ut & robuſtiores, quique huc illuc quotidie diſcurrere ſolent, hoc ipſo, cæteris paribus, facilius affectum hunc excutiunt. Verum hoc exercendi genus iis non temere permittendum, quorum articuli genuum, talorum, aut vertebrarum dorſi, nondum eo uſque confirmati ſunt, ut oneri corporis ſuſtinendo ſint pares. Ubi enim Pueri ex incuria Nutricum (ut ſupra monuimus) præmature pedibus committuntur, facile fit, ut articulos iſtos vel introrſum, vel extrorſum, antrorſum, vel retrorſum, deflecti finant, adeoque deformitati illi in debita corporis erectione occaſionem præbeant. Porro illi puelli, qui vel ex nativa debilitate & laxitate ligamentorum, vel ex incuria Nutricum, malove uſu, articulorum deflexionem jam contraxerunt, non ſunt pedibus exercendi, donec ferulæ aliave munimenta, quę articulos deflexos erigere erectosque ſervare valeant, iis adaptentur: atque aliis interim proficuis exercitiis, ſaltem non nocivis, partim ſuperius, partim inferius deſcriptis, aſſuefaciendi ſunt. *Diſcurſus Puerorum in ſuis curriculis*, ita conſtructis ut eos à titubatione & caſu inter incedendum defendant, in eundem ſcopum collimat, iisdemque legibus ſubjicitur.

Artificialis corporis ſuſpenſio.

II. *Artificialis corporis ſuſpenſio* perficitur ope inſtrumenti cujusdam penſilis ex faſciis ea arte formati, ut pectus ſub axillis complectatur, caputque ſub mento alia faſcia circumdet, manusque binis anſis excipiat, unde corporis onus

onus partim à pueri manibus, partim à capite, partim ab axillis in aere pendulum sustineatur, ita, ut ab adstantibus non sine voluptate huc illuc impellatur. Hoc exercendi genus multis modis in hoc affectu conducere creditur. Etenim ad ossa curva restituenda, ad articulos deflexos erigendos, ad curtam corporis staturam elongandam, conducit. Quinetiam, quod & alia præstant exercitia, calorem vitalem excitat, unaque uberiorem alimenti ad partes externas primoque affectas distributionem promovet: atque interim puellis huic exercitio assuetis voluptatem potius, quam molestiam creat. Aliqui, ut magis distendantur partes, calceos plumbeos pedibus adaptant, & contractiori corporis lateri pondus adjiciunt, quo facilius partes ad æqualem longitudinem extendantur. Hoc autem exercitium solis robustioribus competit.

Frictio

III. *Frictio* quoque ad mascula exercitia duo modo referri potest: non quidem respectu activi alicujus motûs in Puello ad ejus administrationem requisitetalisquidem Nutricis potius actione quam Pueri perficitur) sed ob consimilem vim & efficaciam, quam habet in morbi hujus curatione. Videtur autem Frictio dubii esse generis, & partim ad *exercitii*, partim ad *externi applicandorum genus* pertinere, quo respectu ad hunc locum eam reservavimus, ut simul exercitiorum agmen claudat, & extrinsecus applicanda immediate præ-

cedat. Administranda hæc est (hyberno saltem tempore) coram locudento igne, puello undique bene munito, ne afflatu frigidi aeris lædatur. Perficiunt hanc frictionem Nutrices, aliæ *manu calida*, aliæ *linteis siccis & calefactis*, aliæ *pannis laneis*, aliæ *verriculo*. Et quidem aliquę plurimum laudant verriculum, cæterisque modis præferunt: verum cum tantillum interesse videatur quo ex his modis peragatur, singulos probamus, electionemque penès Nutrices sagaces permittimus. Cæterum ordiantur hanc frictionem à spina dorsi corpore puelli prono collocato, & manum modo sursum, modo deorsum, modo lateraliter promoveant, deinde illinc ad clunes, femora, suras, talos, plantas Pedum descendant; postea resupinato corpore, pectus, ventrem, hypochondria, & latera, nec non anteriora crurum, tibiarum, pedum, moderate fricent, abstinendo tamen à frictione, qua parte ossa prominent, & liberalius fricando partes eorum cavas. Non continuanda est hæc actio ultra levem ruborem in partibus excitatum, ne magis dissipetur, quam suscitetur nativus calor. Hoc exercitii genus maxime infirmioribus puellis convenit; quique aliam actionem aut gressu vix satis valeant sese exercere. Supplet enim vicem hujusmodi exercitii, & calorem insitum excitat, vitalem evocat, alimentum ad partes affectas attrahit. Concedimus tamen frictionem paulo minus ad musculorum carnes, licet forte magis ad partes cutaneas, nutrimentum ac calorem

lorem allicere, quam exercitium proprie sic dictum, adeoque eam veris exercitiis dignitate ac præstantia cedere. Ad Frictionem quam proxime accedit illa nonnullis usitata *Contrectatio ventris, seu Hypochondriorum & Abdominis; qua viscera modo sursum, modo deorsum, modo dextrorsum, modo sinistrorsum premunt intrudendo nonnunquam digitorum apices subcostis nothis.* Et sperant Practici, neque præter rationem, se hac actione Hepar à præternaturali quavis Adnascentia cum Peritonæo liberare, siqua forte talis adfuerit. Atque hic obiter notamus, talem *Hepatis Adnascentiam* in hoc affectu facile ob tensitatem Hypochondriorum & magnitudinem Hepatis accidere posse, unde presse admodum arcteque Peritonæum & Hepatis membrana conjungantur, conjunctaque diu in eadem positione maneant, adeoque tractu temporis prompte coalescant. Coalescentia hæc quatenus ab Hypochondriorum tensitate, & mole Hepatis, ut diximus, dependet, non incongrue ad essentiam hujus morbi secundariam referri potest, *viz.* ad vitia Organica, inter quæ recenseri meretur, quamvis supra suo loco casu à nobis fuerit omissa, ideoque hic visum est ejus mentionem facere. Hæc de Exercitiis, sequuntur Extrinsecus applicanda.

Contrectatio Abdominis.

Frequentis Adnascentiæ Hepatis in hoc affectu Causa.

CAP.

Cap. XXXVI.

Extrinsecus applicanda.

Remedia hæc non tantum, ut diximus, frictionem prærequirunt, sed & plerumque cum ipsa frictione, at leviori, administrantur. Sunt autem vel *generalia*, seu *universalia*, omnes partes ex æquo respicientia; vel *particularia* certisque regionibus corporis dicata. Generalium materia eadem fere est, quam supra proposuimus *cap. De alterantibus specificis*: particularium vero varia, pro varietate regionum corporis, quibus applicanda sunt. Formulæ utriusque generis prope omnes communes videntur, & quinque numero occurrunt; *Liquores*, *Olea*, *Linimenta*, *Unguenta*, *Emplastra*: quanquam Emplastra certis potius partibus dicata, nunquam universo corpori simul applicanda veniunt.

Eorum divisio.

Generalium materia.

Formulæ.

Liquores.

Liquores in hoc affectu longo usu probati, sunt *omnia prope vini genera*; imprimis vero *vinum Moscatellinum*. Aliqui vero potius commendant vinisque præferunt *Cerevisiam Gedanensem*, seu *Prussiacam*: quæ quidem ad consolidandas & firmandas partes plurimum, ad sanguinis autem æquationem ejusdemque æqualem distributionem parum aut nihil

nihil potest. Idem quoque judicium esto de *vino Alicantico*, ut & de *vino rubro*. Aliqui loco vini utuntur *aqua vitæ vulgari*, quæ nihilo inferior vino creditur. *Decocta* quoque in eundem usum parari queunt.

Ut,

℞ *Radic. Osmundæ regalis, fol. Salviæ, fl. Calend. fol. Lauri, Scolopendr. Veron. maris*, an. M ß. *Roris mar. Ros. rubr. siccat.* an. pj. *Coq. in aq. fontan. & aq. vitæ vulgari*, an. ℔j. *ad tertiæ partis absumptionem. Colatura servetur ad usum.*

Vel

℞ *Radic. Filic. maris.* ℥j. *fol. Osmundæ regal, Hormini, Lauri, Salviæ, Veronicæ mar.* an. M ß. F. *Infusio in vino aliquo, & Liquor colatus servetur in usum.*

Cæterum liquores hi raro, aut nunquam, soli adhibentur, sed *Oleis, Linimentis*, vel *Unguentis*, æquis fere partibus admixti; & quidem coram luculento igne, tepidi usurpandi, calida nutricis manu donec exsiccentur affricti.

Olea composita, & probata in hoc affectu, pauca admodum, eaque vix satis efficacia, in Officinis parata servantur. *Simplicia* vero paulo plura; ut, *Oleum vermium terrestrium, Chamæmili, florum Calendularum, Veronicæ maris*, è *pedibus Bovinis*: quibus etiam addere possumus *Oleum Vulpinum, Catellorum, Hirundinum*; modo hæc ultima simplicia ra, & saltem absque impense calidis parentur. Olea.

Oleum Excestrense (licet eo nonnulli

Practici

Practici utantur) videtur calidius, quam ut per se solum in tam tenera ætate facile probemus. Idem judicium esto de *Oleo Castoreo Jacobi de Manlio*; ut & de plurimis *Unguentis anti-Paralyticis, Unguento Nervino, Martiato, Aregon*, & similibus. Torpor enim in hoc affectu non Paralyticus est; neque, perinde ac in vera Paralysi, impense calida expetit; neque etiam conjuncta partium flaccoditas talia, absque spirituum insitorum dissipatione, facile admitteret. Quare, cum hic morbus novus sit, si velimus *Olea, Unguenta*, vel *Linimenta* ei appropriata, ad manum habere, oportet recta methodo compositionem instituamus; nimirum *specifica alterantia*, supra usitata, *Oleis*, vel *Pinguedinibus*, debito modo admiscendo:

Unguentorum in hoc affectu componendi ratio, & Formulæ.

Ut;

Prima. ℞ *Fol. Salviæ rubræ, Veron. maris, Anagallid. fl. Calend.* an. M ij. *radic. Osmund. regal.* ℥vj. *Butyri Majal.* ℔iij. *Vini albi* ℔ß. *Concisæ herbæ, & contusæ radices coq. sec. art. ad vini absumptionem: Dein* F. *Expressio, dum adhuc calent, cui adde Oleum Nucis Myrist. per express.* ℥iß. *Misceantur diligenter, & post subsidentiam abjectis faecibus,* F. *Ung. purum, quod in olla vitreata reponatur ad usum.*

Vel,

Secunda. ℞ *Fol. Chamæm. Becabung. Nasturt. aquat. Cochlear. hortens. Veron. maris, Cardiacæ, Capill. Vener. Ling. Cervin. Ceterach, Lauri, summit. Menth. rubr. Salviæ rubr. Kori-mar. baccar. Hederæ,*

an.

an. Mß. *radic. Osmund. regal.* ℥iiij. *Vini Moscatellin.* ℔ß. *Butyri Majali* ℔ij. *Incidenda incisa, & contundenda contusa, coq. omnia ad vini absumpti. Exprimatur dum calet, &, separato impuro sedimento, F. s. a. Unguentum.*

Vel,

Tertia. ℞ *Fol. Salviæ rubræ, Veronicæ, Linguæ Cervin. Xyris,* an. M ij. *radic. Osmund. regal.* ℥vj. *summitat. Lavend. Roris-mar. fol. Laur.* an. Mß. *Aq. Vitæ vulg.* ℔j. *ol. è pedib. Bovin. Ol. Vulpin.* an. ℔ß. *Sevi Cervin. vel Vervetin. vel Medullæ Bovin. Ol. Lumbricor.* an. ℔j. *Coq. ad consumpt. Aq. Vit. Exprimatur Unguentum dum calet, & separatis fæcibus reservetur in usum.*

Quarta. ℞ *Fol. Osmund. regalis virentis* M vj *Anagallid. fl. Calend. fol. Salviæ rubr. Hormin. Cardiacæ, Becabungæ, Nasturt. aq.* an. M j. *fol. Roris-mar. Laur.* an. Mß. *Concisa omnia minutim contundantur optime in mortario marmoreo, vel ligneo, pistillo ligneo, cum* ℔vj. *butyri non salsi; dein macerentur per dies* 14: *tum paullatim liquescant in Balneo Mariæ, & simul ac fervescere incipiunt, F. Expressio, iterumque addantur Herbæ, ut prius. Tandem Unguentum expressum, & depuratum, recondatur in vasibus idoneis, ad usum.*

Hisce *generalibus externis remediis* nonnulla *particularia*, certas corporis regiones spectantia, subjungi possunt; ut;

Remedia externa particularia.

1 *Hypochondriis* appropriata.

Si regio Abdominis, præcipue *Hypochondriorum* tensa, dura, tumidaque fuerit; neque duritiei, rensitas, tumorve,

pure-

purgationi debito modo administratæ cesserit, ad hujusmodi Topica deveniendum est: Ut;

℞ *Olei de Capparibus, Absynthio, Sambucini,* an. ℥j. *Unguenti generalis primi supra descripti* ℥jß. M. F. *Linimentum.*

Vel,

℞ *Unguenti è succis aperit. Foesii* ℥iij. *Unguenti primi generalis* ℥ij. M. F. *Unguentum. Commendatur etiam Oleum Saxifragiæ ex multiplici infusione & coctione herbæ concisæ & contusæ fact. in Oleo vulgari.*

Tempore usûs hæc, similiaque *Unguenta,* vel *Linimenta,* cum aliquo appropriato *Liquore,* facilioris penetrationis caussa, misceri possunt: Ut;

℞ *Florum Sambuci, foliorum Salviæ rubræ contusorum, baccarum Lauri contusarum, Santali albi crassiuscule pulverati,* an. ʒij. *Vini albi* ℔ij. *Macerentur per tres dies in loco frigido, in ampulla vitrea, subere accurate clausa, bis in die concutienda. Tempore usûs portio liquoris, quæ pro una vice suffecerit, effundatur colata; denuoque clausum vas reponatur in usum.* Vel, (si fortiorem malis,)

℞ *Radicum Bryoniæ albæ siccatarum & incisarum, baccarum Lauri, stercoris Anserin.* an. ʒij. *seminis Cymini* ʒj. *foliorum Salviæ rubræ, florum Sambuci,* an. p j. *Coq. in* ℔jß. *vini Rhenani, ad* ℔j. *Colatura servetur in vase clauso, loco frigido.*

Liquores hi, similesve, *Unguento* commixti, & ad ignem calefacti, calida Nutricis manu, *Abdomini,* & præcipue *Hypochondriis,* ad siccitatem usque affricentur:

tur: simulque Nutrix istas partes molliter contrectet; viscera modo sursum, modo deorsum, dextrorsum, vel sinistrorsum premendo, ut supra dirigitur.

Egregie etiam hic confert *Balsamum de Tolu*, *Unguentis*, vel *Emplastris* admixtum. Potest & ex eo fieri *Emplastrum*, quod spinę debili utiliter applicatur.

Emplastra quoque huc nonnihil contribuere posse videntur: Ut;

℞ *Cerati Santalini* ℥iij. *Gummi Ammoniaci in Vino Rhenano*, vel *Vino aliquo Medicato modo descripto, soluti, depurati, & ad spissitudinem iterum cocti* ℥j. F. l. a. *Emplastrum*. Hujus portio sufficiens extendatur super *alutam*, & dextro *Hypochondrio* coaptetur; vel etiam sinistro, si durities (quod raro accidere putamus) illic magis urgeat.

Vel,

℞ *Succorum Becabungæ, Nasturtii aquatici, Cochlearis hortensis, Absynthii, corticum Sambuci, radicum Filicis maris*, an. ℥j. *Succi, depurati lento calore, ad crassitiem ferme Extracti redigantur; tunc adde in pulverem subtilissimum comminuta Santali Citrini* ℥ij. *Macis* ℥ß. ℞ *Mixturæ hujus* ℥ßß. *Gummi Ammoniaci in Vino soluti, & ad spissitudinem cocti*, ℥iiij. *Misceantur calide, & continue agitentur, donec incipiant frigescere & indurari: &* F. *Emplastrum, applicandum, ut prius.*

Porro, *Pulmonum* male affectorum gratia, frequenter quoque *peculiare Unguentum pectorale* ex usu est. In quo casu, *Pulmonibus* a dicata.

℞ *Olei Violarum, Liliorum alborum, Unguenti*

Unguenti è floribus Aranciatis, an. ℥j. M. F. *Linimentum, calida manu pectori affricandum, superimposita charta, mollique lana interjecta, vel panno lineo.* Addi huic *Linimento* potest exigua quantitas *Balsami Peruviani.*

Vel,

℞ *Unguenti pectoralis* ℥ij. *Unguenti Glycyrrhizæ simplicis* ℥jß. *olei Violarum* ℥j. M. F. *Linimentum, eodem modo adhibendum.*

Cæterum *Unguentum Glycyrrhizæ simplex* sic conficitur;

℞ *Glycyrrhizæ recentis & succulentæ* ℥iiij. *Butyri recentis, non salsi, in aqua Rosacea loti,* ℔j. *Glycyrrhiza incisa contundatur optimè cum Butyro in mortario lapideo; postea simul frigantur in jarugine: tunc* F. *Colatura cum Expressione; idemque labor ter iteretur, cum pari quantitate novæ Glycyrrhizæ.*

3 *Spinæ* remedia externa.

Denique propter summam *Spinæ dorsi* debilitatem, quæ in hoc affectu frequens esse solet, *Emplastra* quædam, isti parti appropriata, parari possunt. In Pharmacopœis exstant *Emplastrum de Betonica*, & *Diacalcitheos*; cui tamen, tempore usûs, addenda est *Mastiches, Olibani pulv.* an. ℥ß. *Emplastrum* quoque, *Flos Unguentorum* dictum, huc referri potest, modo *Caphura* omittatur; Similiter & *Emplastrum Nervinum.*

Vel,

℞ *Unguenti primi generalis* ℥ij. *Herbarum ejusdem compositionem ingredientium, minutim concisarum* ℥v. *Ceræ Citrinæ* ℥iiij. *Resinæ purissimæ* ℥viij. *Unguento, Resina,*

Resina, & Cera liquatis, adde Herbas, & f. a. F. Emplastrum:

Vel,

℞ *unguenti generatis cerbi* ℥xv. *Litharg. auri triti & cribrati* ℥ix. *Coque, simul spathula agitando ad Emplastri consistentiam. Tum adde Ceræ, Picis Burgundiacæ,* an. ℥iii. *Olei Nucis Myristicæ expressi* ℥iij. *Mastiches, Olibani, Myrrhæ,* an. ℥ß. *Castorei* ℥ß. *Vitrioli albi pulverizati* ℥ß. F. *Emplastrum secundum artem.*

Discrepant autem *Practici* in figura, & applicatione horum *Emplastrorum.* Aliqui *oblongam & angustam* figuram eligunt, & secundum *longitudinem Spinæ* applicant. Alii potius figuram *latiusculam,* & prope *triangularem* pro lem nemdes: & à orsum su que extẽ autem ex-



bant; quape hic *vilumbis* deper *Os Sacrum* ad *Coccygẽ* usdunt. Nos istimamus, ubi *inferiores partes Spinæ,* tum *Crura* ac *Tibiæ,* (partes illæ nimirum, quæ ab inferiori Spinæ parte nervos suos mutuant,) præ *superioribus* infirmæ sunt, formam posteriorem convenire posse; ubi vero potius *superiores Spinæ partes* videntur debiliores, priorem & oblongam formam magis quadrare.

Similiter à nonnullis pro *Spinæ* debilitate *Linimentum* commendatur, quod constat ex *Gelatina Cornu Cervini,* facta cum *Nervinis,* & radicibus *Sigilli Mariæ,* floribus *Salviæ,* & *Consolidæ.* Tempore Inunctio-

Inunctionis admiscendum est aliquid *Olei Nucis Myristicæ per expressionem*, vel *Olei Lumbricorum terrestrium*, aut *Adipis humani*. Atque hæc de *Medicamentis externis*.

FINIS.

TRINITY COLLEGE LIBRARY. CAMBRIDGE.